

(unknown project)

Recollecte super poetria magistri Gualfredi

Table of contents

1.

[Page 235]

(1) Incipiunt *Recollecte super Poetria magistri Gualfredi*.

2.

(2) Quoniam propter opinantes contrarium veritati, qui ob ornatum modum loquendi sive stilo dictaminis subiacentem suspicantes rethoricam formaliter edocere

«delphinum
silvis appingit, fluctibus aprum»

, ego Guicciardus,
minimus donatistarum minister, ipsis deviantibus fore succurrendum, errore sublato de medio, propter differentiam inter rethoricam, dyaleticam, poesim et ornatum sermonem lucide assignandam, cum correptionis venia, cogitavi, antequam presens opus exponerem sicut possum.

(3) Aiunt enim rethoricam ipsam, secundum id quod est, differre a loyca et secundum genus distinctum ab ipsa in numero septem liberalium artium ponunt: quod evidens apparet propter eorum dicta, in antiquis codicibus gramaticorum et sententiis, ut ibi: '«septem sunt liberales artes»' (nam ibi ponunt dyaleticam pro loyca). Rursus, sub ipsa rethorica formaliter accepta ipsam scientiam poetarum, que poesis nominatur, simul et ipsum ornatum sermonem, opus dictatorie facultatis, ponentes, ipsam videntur penitus rethoricam ignorare.

(4) Primum quidem reprobatur Philosophus primo *Rethoricorum*, dicens quod ipsa rethorica est dyaletice assecutiva, quod potest probari et breviter declarari. Quia quorumcumque est idem principium sub generis unitate et inter se differunt per formas essenciales, non debent inter se genere distingui. Sed dyaletica et rethorica sunt huiusmodi, ergo et cetera. Maior de se nota est, minor declaratur, quia sub arte probativa procedente ex probabili et contingenti – ut subicitur et predicatur – per formas essencialiter differentes,

[Page 96]

reponitur dyaletica et rethorica; utraque enim probabiliter silogiçant, licet differenter, ut statim apparebit. Ergo non differunt genere, sed specie; ex quo manifeste apparet ipsas non esse diversa genera artis liberalis.

(5) Secundum similiter reprobatur, quia illorum que differunt per formas specificas, unum non reponitur sub altero. Sed poesis et sermo ornatus sunt huiusmodi, ergo non reponuntur sub rethorica. Maior est nota de se, minor declaratur autoritate Philosophi qui separatim de singulis determinavit per se; hoc idem apparet, quia forma poesis vel sillogismus poeticus procedit ex quibusdam transumptive sumptis vel fictis, ut aggeneret suspensionem. Unde 'poio, pois', idem est quod 'fingo', ut apparet in fabulis poetarum: Ovidii, Oracii, Iuvenalis et aliorum illustrium personarum similium.

(6) Forma autem rethorice vel sillogismi rethorici est procedere vel persuadere ex quibusdam rerum attributis, coniecturis vel signis facientibus aliqua adherere alicui partium contradictionis. De hac autem rethorica Philosophus plene determinat in *Rethoricis* et ideo dicebatur, primo *Rethorice*, quod enthimema est sylogismus rethoricus et exemplum est inductio rethorica, ut cum dicitur: '«Mulier habet lac, ergo peperit»' et

«Iste habebat
gladium sanguinolentum in manibus, ergo hominem
interfecit»

(7) Sermo autem dictatorius est quiddam compositum
vocum, quod dignitatem et consonantiam in se tenet, ad
docilitatem, benivolentiam et attentionem captandam –

[Column f1r.b]

//1rb// Tullio protestante –, que ad usum oratoris est oratio
accomodata et tres res debet habere: elegantiam, compositionem
et dignitatem, quia multum ornatus modus loquendi
doctos ab indoctis separare videtur et multam in
populis gratiam promeretur.

[Page 97]

(8) Hic autem sermo passionalis dici potest, quia omnibus
enarrandis merito adaptatur; sed quia ipso potius utimur
ad finem rethorice persuasivum, ideo 'rethorice' nomine
nuncupatur et melius videtur posse rethorice adaptari.
De hoc autem sermone determinatur in *Rethorica* Tullii
mixtim cum ipsa rethorica, sed Philosophus de rethorica
determinat.

(9) Sed in hoc presenti opere poetrie de tali sermone plenarie
determinatur; in cuius quidem principio sunt quattuor
genera causarum investiganda, scilicet efficiens, materialis,
formalis et finalis.

(10) Causa quidem efficiens fuit Gualfredus vel Gualterius,
litteratoria facultate facundus, qui, quanta bonitate
claruerit, suorum operum eminentia manifestat. Hic autem
propter veniam impetrandam a summo pontifice, ad curiam
Romanam, pro Ricardo rege Anglie qui beatum Thomam
de Conturbia interfecerat ob thesauros ecclesie habendos,
direxit humiliter suos gressus. Hic vero, videns
quod propter mellifluum ornatum modi loquendi, per modum
doctrine in summam redactum, poterat in Curia concludere
quod optabat, epylogationem presentis operis perpetranda
commisit. Qua fine legitimo consumata, laudum
papalium et cardinalium continentia, obtinuit quod
petiit ab eisdem et ab aliis curialibus gloriam et honorem.

(11) Causa materialis idem est quod subiectum libri;
ideo, cum omnia que hic dicuntur reducantur vel per se dicantur
de ornato modo loquendi in stilo dictaminis, ipsum
erit causa materialis.

(12) Causa vero formalis est duplex, scilicet forma tractatus
et forma tractandi. Forma tractatus est distinctio libri
per partes principales et partium principalium in partes
minutas, quousque deveniatur ad minimas sententiam continentes.

[Page 98]

Forma tractandi idem est quod modus agendi, qui
est divisivus, continuativus et exemplorum positivus.

(13) Causa finalis assignari potest, videlicet ut tali oratione
ornata in omnibus enarrandis gratiam adquiramus.

(14) Nunc, ad divisionem libri accedentes, dicamus quod, quia liber iste dupliciter considerari potest, ideo dupliciter potest dividi. Uno modo comparando rethoricam de qua hic agitur ad partes suas essentielles que sunt quinque, scilicet invencio, dispositio, elocutio, memoria et pronunciatio. Secunda ibi: «Neu stilus»; tertia ibi:

«Si brevis
aut longus»

; quarta ibi: «Cellula que meminit»; quinta ibi: «In recitante».

Alio modo potest considerari liber iste prout in ipso agitur de oratione rethorica. Que quidem oratio habet sex partes, videlicet exordium, narrationem, divisionem, confirmationem, confutationem et conclusionem (secunda ibi: «Si quis habet»; tertia ibi: «Neu stilus»; quarta ibi:

«Si bene
dicta»

; quinta ibi: «In primis igitur»; sexta ibi: «Iam mare»). Unde solet dici metrice:

«Orditur, narrat, partitur et inde
refutat, / confirmat, claudit, habet has oratio partes»

. Que quidem divisio magis placet michi quam alia, sed non est ita usitata, quia magis ordinationi libri condeservit.

(15) Prima ergo pars est exordium, quod primo ponitur quia, ut dicit Tullius, exordium

[Column f1v.c]

//1vc// est oratio preparans animum auditorum ad aliquid peragendum reddendo eos dociles, benivolos et attentos ad sue petitionis exauditionem, eos mirifice commendando. Unde versus:

«Efficiunt
animum exordia iudicis aptum / audiat ut digne
causas simul atque benigne»

.

(16) Hoc igitur prohemium sive exordium dividitur in

[Page 99]

duas partes, in quarum prima captat benivolentiam, docilitatem et attentionem, in secunda, offerendo domino librum suum, reddit ipsum docilem et attentum. Secunda ibi:

«Accipe,
magne»

. Prima in duas, quia primo captat benivolentiam, secundo ad ipsum invocationem facit, ibi:

(17) Benivolentia secundum Tullium quattuor modis captatur, scilicet ab officii dignitate, ab ipsis rebus, a persona et ab ipsis attributis rei vel persone; et ideo ista pars dividitur in quattuor partes, secundum quod quattuor modis captat benivolentiam ab ipso. Nam primo ab officii dignitate simul cum proprio nomine, secundo ab ipsis rebus, videlicet a virtutibus, tertio a persona, quarto ab ipsis attributis. Secunda ibi: '«Nec nomen»'; tertia ibi: '«Trans hominem»'; quarta ibi: '«Suntque tui tales»'.

(18) Dicit ergo '«O papa stupor mundi»' – hoc nomen, 'papa', dicitur a 'pape', quod est interiectio admirantis vel adverbium – quia super omnia alia edificia vel dignitates officium papale est admirabile. Et licet hoc conveniat aliis papis ex quodam stupore sive admiratione, Innocentio convenit ex industria operarum et ex virtutum et scientie fulgore quo canduit. Stupor enim fit de magnis novis et inusitatis rebus, quas iste dicit fuisse in papa Innocentio et propterea dicit 'stupor'; magnus enim erat propter potentiam, quia nullum regnum resistere ei poterat, sicut apparuit in imperatore Acçone et in rege Richardo. Erat etiam inusitatus propter magnam eius sapientiam, in qua nullus ei poterat comparari, et propter virtutes eius in quibus ei nullus inveniebatur in mundo similis

(19) Unde dicit '«mundi»', id est mundanorum: continens pro contento posuit et est methonomia. Construe ergo sic: "O papa stupor mundi, si ego dixero papa Nocenti, ego tribuam tibi nomen acephalum", id

[Page 100]

est sine capite. 'Acephalum' dicitur ab 'a', quod est 'sine', et 'cephas', quod est 'caput', id est 'sine capite'; unde dictum fuit Petro '«Tu es cephas»', quod interpretatur 'caput', quia caput tenet apostolorum.

(20)

«Et si caput addam nomini
tuo dicendo 'Innocenti', nomen tuum erit hostis metri
et non poterit stare in metro»

, quia per legem metricam habetur
quod sillaba longa inter duas breves in nostris carminibus stare non potest: nam illa ultima sillaba, '-pa', est brevis, quia omnis in '-a' casus – preter sextum – breviatur. Sed 'In-' est longa positione, quia 'n' et 'n' faciunt positionem; sed '-no-' est brevis quia descendit a 'noceo, -ces', quod habet primam brevem et ad ipsam sequitur alia longa. Modo ex talibus sillabis non potest fieri pes in exámetro carmine. Sed dicit ipse:

«nomen tuum tibi vult assimilari
quia tu es pius et benignus»

(21) '«Nec nomen»': hic captat auctor benivolentiam domini pape ab ipsis rebus, id est ab ipsis virtutibus, et duo facit, quia primo laudat eum a virtutibus in generali et secundo in speciali, ibi: '«Egregius sanguis»'. Prima in duas, quia primo facit quod dictum

[Column f1v.d]

//1vd// est, secundo adaptat ad propositum, ibi: '«Sic et tua»'.

(22) Primo igitur comparat virtutem nomini pape ostendens quod sicut nomen non recipitur in metro, sic virtus eius indivisa non est alteri comparabilis propter eius immensitatem, quemadmodum nomen superabundat sillabis. Sed ipsa divisa per partes potest aliis comparari, sicut, si nomen dividatur, potest stare in metro. Constructus est planus.

(23) '«Sic et tua»': hic adaptat autor dicens quod multi virtute angeli predotantur quemadmodum iste papa. Unde dicit: '«Sic et tua virtus»'. Hoc dicit quia virtus huius adeo magna

[Page 101]

fuit quod vocibus humanis exprimi non potest; propter quod bene dixit '«Transit mensuras»' et cetera.

(24) '«Egregius sanguis»': hic commendat eum in speciali, quia virtutem eius divisam multis aliis virtuosus comparat, quia in nobilitate Bartholomeo (dicitur enim Bartholomeus a 'bar', quod est 'filius', et 'theos', quod est 'deus', quasi filius dei), in humilitate Andree, in modestia iuventutis Iohanni, qui fuit castissimus iuvenis, in constantia fidei Petro, qui dicitur petra Ecclesie, sed in scientia Paulo, qui dicitur vas electionis. Sed quia, sermone mellifluo, pre aliis refulgebat, ideo eum comparat omnibus illis qui dicti sunt eloquentissimi, eum preferens omnibus illis per colorem qui dicitur apostropha, ut puta Augustino, cui dictum est '«mille voluminibus, pater Augustine, refulges»',

«mentitur
qui te totum legisse fatetur»

; similiter Leoni pape, qui maximus fuit, et Gregorio et Crisostimo. Constructus est planus.

(25) '«Ista simul»': ordo est: "ista una", dos, "de dotibus, scilicet gratia lingue appositive, quam gratiam nulli est fas contingere" sicut tibi pape, "nulli superest" sicut isti pape.

(26) '«Esto quod»': ordo est: "Esto", id est concedatur, "quod in verbis supple pulcris, aut hic", id est Augustinus, "aut ille", id est Gregorius, "sit <aureus>ore", id est habeat pulcra verba. "Tamen os cuiuslibet illorum est impar" tibi, pape, vel auro tui oris. "Et aurum tui oris", id est eloquentia, "preiudicat", id est plus valet quam illi valeant in sermone.

(27) '«Trans hominem»': hic captat benivolentiam a persona pape secundum etatem, comparando ipsum Petro et Iohanni, dicens quod in sua etate habuit coniunctim quicquid illi habuerunt divisim, quia in tempore prime fidei in dignitate Deus pretulit Petrum Iohani, quia illi dedit claves

regni celorum et non Iohanni, sed in amore et conversatione plus videbatur diligere Iohannem quam Petrum. Sed omnia ista facta sunt simul in isto papa, quia quantum ad morum maturitatem videtur adeo diligere tamquam Petrus in obtentione dignitatis, sed quantum ad etatem iuvenilem et castissimam videtur adeo diligere tamquam Iohannes. Et ideo, admirative loquens, dicit '«Tu papa es totus trans hominem»', quia es duplex homo. Constructus est planus.

(28) '«In te, Papa»': ordo est: "O papa, nova res accidit in te" quia tu es, "o papa, senex Petrus, et es iuventa Iohannes", id est iuvenis Iohannes, quantum ad ea que dicta sunt.

(29) '«Suntque tui tales»': hic captat benivolentiam a domino papa ratione attributorum sive coniunctorum ei, scilicet ratione cardinalium, eos commendando et per consequens ipsum, quia cuius familia bona est ipse quoque bonus presumitur. Et ideo adducit quandam similitudinem dicens quod sicut sol stans in celo

[Column f2r.a]

//2ra// circumdatus sideribus
illuminat totam terram, ita papa circumdatus suis cardinalibus totam terram illuminat, id est omnes terrenos.
Constructus est planus. Potest autem hec pars dividi in duas quia primo captat benivolentiam pape ratione ei attributorum, secundo narrat propositum suum, ibi:

«Me
transtulit»

(30) '«Me transtulit»': hic narrat propositum suum.

(31) '«Lux publica»': hic, ut dicebatur, post benivolentie captationem suam facit petitionem invocando ipsum per quendam colorem qui dicitur ratiocinatio et duo facit, quia primo facit petitionem, secundo probat illam debere adimpleri, ibi: '«Dare grandia»'. Tertio possumus dicere quod probat dictum suum, ibi: '«quia prudens»'.

(32) Dicit ergo "O papa lux publica mundi, digneris lucere michi" – appositione –; "o dulcissima rerum, partire", id est partiaris, "michi tuum bonum dulce". Littera plana est.

[Page 103]

(33) '«Accipe»': hic, ut dicebatur, offert autor librum suum domino pape ut favorem suum valeat melius promereri et cum hoc captat docilitatem et attentionem. Nam cum dicit "o magne", id est o papa, propter excellentiam qui es magnus "accipe hoc opus exiguum, breve corpore", per hoc tangit docilitatem, nam dociles reddimur ex operis lenitate. '«Amplum viribus»': per hoc captat attentionem quia ex promissione difficili reddimur attenti.

3.

(34) 'SI QUIS HABET' ET CETERA: in parte precedenti autor posuit prohemium suum in quo reddidit auditorem benivolum a tribus, scilicet a propria persona, ab officio et ab ipsis attributis. Hic aggreditur tractatum suum et facit quinque, sicut quinque sunt partes rethorice, scilicet inventio, dispositio, elocutio, memoria et pronunciatio; secunda ibi: '«Neu stilus»'; tertia ibi: '«Si brevis aut»'; quarta ibi: '«Cellula que»'; quinta ibi: '«In recitante»'. Prima in duas, quia primo determinat de inventione, dispositione et de elocutione, secundo dicta epylogat ordinando ipsa ad ipsam memoriam, ibi: '«Omnia que recipit»'. Prima in duas, quia primo determinat de inventione rerum ut mente percipitur, secundo de inventione vocabulorum quibus talia concepta exprimuntur, ibi: '«Mentis in archano»'. Prima in duas, quia primo dat intentionem suam sub quadam similitudine sumpta ab ipso domificatore sive architectore, secundo ipsam adaptat ad propositum, ibi: '«Ipsa poesis»'.

(35) Dicit ergo quod per similitudinem possumus videre quid spectet ad inventionem – de qua fere melius dicitur in quodam libello et latius –, quia sicut domificator totam materiam componendam in archano mentis vel pectoris colligit antequam ad opus procedat, sic, pari modo, dictator debet totam materiam describendam in pectore

[Page 104]

suo colligere, premittendo qualitatem et quantitatem domus componende antequam ad exteriora et quasi sensibilia se extendat.

(36) '«Impetuosus»': est ille qui non premeditatur antequam agat et qui sine consilio aliquid agit.

(37) '«Archetipus»': id est figurativus et dicitur ab 'archos', quod est 'princeps', et 'typus', quod est 'figura', quasi principalis figura alicuius rei que prius prefiguratur in cogitatione quam exerceatur in opere.

(38) '«Quam sensilis»': id est quam sensibus corporeis percipi possit, utpote tactus, visus vel auditus, et sic de ceteris. Constructus est

[Column f2r.b]

//2rb// planus. Et nota quod inventio est excogitatio rerum verarum vel verisimilium, que causam probabilem reddunt.

(39) '«Ipsa poesis»': hic adaptat similitudinem ad suum propositum et duo facit, quia primo ponit similitudinem illam, secundo ostendit quomodo materia in corde debeat pertractari, ibi: '«Certus preliminet»'.

(40) Dicit primo quod sic premittendum est, in materia describenda vel sermone purpureo reserando, sicut in edificiis, et hoc est '«ipsa poesis»', id est ars poetarum, quia videtur maxime autor hoc negotium ad ipsam naturam poesis contrahere; unde poesis dicitur a 'poio, pois', id est 'fingo, -gis', inde 'poeta', id est 'factor', inde 'poesis', id est 'fictio'.

(41) '«Spectet in hoc speculo»': id est in predicta similitudine, "que lex sit" et cetera.

(42) '«Non manus»' et cetera: declarat quomodo ad totam materiam.

(43) '«Certus preliminet»': hic ponit quomodo in corde debeat materia pertractari, id est quomodo in corde prius limitem faciat, "unde prearripiat cursum", scilicet scriptor sive "stilus, aut ubi figat Gades", id est finem. Sunt autem

[Page 105]

proprie Gades columnne quas Hercules posuit in Yspania, scilicet in mari occidentali in signum sui ultimi laboris vel peregrinationis in mundo.

(44) '«Contrahe»': id est

«Cohibe violenter verba tua vel
que concipis modo debito exire»

4.

(45) 'MENTIS IN ARCHANO' ET CETERA: postquam supra autor determinavit de inventione materie sive rerum ut mente percipiuntur, sequitur determinare de inventione vocabulorum. Ideo hic ponit qualiter quis, inventa materia in qualibet parte sui, debeat eam ornare, ne modica menda tota compositio condemnetur, cum debeant ipse partes in epistua posite pulcris vocabulis et variis coloribus insigniri. Et ponit tria, quemadmodum tria sunt necessaria ad hoc ut hospes recipiatur. Et circa hec duo facit, quia primo continuat dicta dicendis, secundo exequitur, ibi: '«Quando tamen»'. In prima parte sententia est plana.

(46) '«Quando tamen»': hic exequitur et duo facit, quia primo dando intentionem suam de huiusmodi ornatu verborum ostendit quid non sit faciendum, preceptum prohibitum ponendo, secundo ostendit quid sit faciendum, insertis documentis preceptivis, ibi: '«Carminis ingressus»'. Prima in duas, quia primo, sub quadam similitudine sumpta a natura, cui debeatur servitium ab ancilla ostendit, convenientiam inter inventionem verborum et materiam illorum prius mente conceptam. Secundo manifestat in quibus partibus materie attendatur ornatus habilitas per oppositam naturam, ibi: '«caveat sibi»'.

(47) Dicit primo "cum ordo", id est rationalis dispositio, "digesserit", id est per partes suas optime inseruerit, "rem", id est materiam, "poesis", id est sermo poeticus, videlicet quo utuntur poete qui ornate et polite loquuntur, "veniat vestire materiam verbis" quia, sicut corpus humanum

[Page 106]

vestibus deornatur, ita materia rudis verbis honestis.

(48) '«Obsequio domine»': appellat enim sermonem venustum, sive poesim ancillam, materiam vero dominam, quia sicut ancilla vestit dominam, ita talis sermo venustus dicitur materiam coherere sive palliare.

(49) '«Caveat sibi»': hic tangit in quibus partibus materie ornatus habilitas se conformet et duo facit, quia primo facit quod dictum est, secundo ponit quasdam similitudines, ibi: '«Fel modicum»'. Circa primum sciendum quod tres sunt partes cuiuslibet materie deornande, scilicet principium, medium

[Column f2v.c]

//2vc// et finis, que si fuerint inornate, hec vicia in eis committuntur.

(50) Dicit ergo quod materia debet cavere sibi "ne caput hirtis", id est ne exordium sit viciosum; in exordio enim materie, ut vult Tullius,

«observandum est ut sermo sit lenis
et usitata verborum consuetudo et ut non operata videatur
nimis esse oratio»

. Viciosum enim est exordium
quod est nimis operatum et longum et quod de ipsa causa
natum non est. "Aut corpus", id est ne illud quod interponitur
quod ad rem ipsam non pertinet (unde Horatius:
'«unus et alter / pannus assuitur»'), et ne ipsa "ultima displiceant",
id est ne deficiant circa finem et ne <finis> nimis
sit dissimilis principio, id est ne conclusio de premissis
concludatur, unde Horatius:

«infelix operis summa, quia
nesciet ponere totum»

, quasi dicat: «Principium ne medio,
medium ne discrepet ymo». "Alicunde", id est ex aliqua
parte, "nec inquinet illam" ', id est non viciet, "hanc poliens",
id est ornans, quasi dicat: «Non sit tantum ornata
una pars quod alia non sit eque ornata, quia hoc videretur
turpissimum».

(51) '«Fel modicum»': hic probat per similitudinem quod

[Page 107]

una pars viciosa totum opus possit corrumpere. Et tria facit,
quia primo ponit similitudines, secundo infert corelarium,
tertio ostendit quales debent esse partes, scilicet principium,
medium et finis; secunda ibi: '«Cautius ergo»'; tertia
ibi: '«Consule materie»'. Prima in duas, secundum quod duas
ponit similitudines, secunda ibi: '«unica menda»'. Partes iste
per se patent.

(52) '«Carminis ingressus»': hic vult autor ostendere quomodo
ornatus habilitas partibus se conformet materie sub
triplici similitudine, dicens "ingressus", id est principium,
"quasi verna facetus", id est curialis servus. 'Verna' proprie
dicitur servus nutritus in domo semper, qui quasi vernus
est, id est ornata domus; antiquitus enim servorum alii
ornabantur, alii nutriebantur.

(53) '«Medium»': scilicet operis. Cetera plana sunt.

5.

(54) 'NEU STILUS' ET CETERA: hic determinat autor de dispositione que est secunda pars subiecti istius libri. Est autem dispositio secundum Tullium ordo vel distributio per quam ostenditur quid in quibus locis collocandum sit. De hac autem dispositione determinat autor sic, quia primo, ut ostendat dispositionem sive ordinem ad omnes alias valere, ipsam cum omnibus aliis enumerat assignando ordinem inter ipsas, secundo prosequitur de ipsa dispositione, ibi: 'Ordo bifurcat iter». Littera plana est.

(55) '«Stilus»': est dispositio verborum secundum merita personarum.

(56) '«Cumque sequens series»': quattuor exigunt ad perfectionem sententie, scilicet materie: apta et decens dispositio sententie, verbis ydoneis exornatio (elocutio cum amenitate prolata), suavis pronuntiatio. De memoria non fit hic mentio quia non pertinet ad sententie integritatem. Et hoc

[Page 108]

declarat dicens "Est opere prime", quantum ad inventionem, "quo limite", id est qua materia, debeat esse processus.

(57) '«Cura sequens»': per hoc tangit dispositionem.

«Sudor
tertius»

: per hoc tangit elocutionem. '«Labor finalis»': per hoc tangit pronuntiationem. De memoria nichil dicit cum non sit de substantia, sed faciat tamen ad bene esse. '«Est opere prime»': id est primi laboris; licet 'opera, opere'. Alia littera plana est.

6.

[Column f2v.d]

//2vd// (58) 'ORDO BIFURCAT ITER' ET CETERA: in parte precedenti autor, volens ostendere dispositionem valere ad omnes alias partes rethorice, numeravit ipsam cum aliis. Hic autem determinat de ipsa in speciali et duo facit, quia primo determinat de dispositione materie ratione principii, secundo ratione totius corporis materie, ibi: '«Principio varium»'. Prima in duas, quia primo determinat de tali dispositione regulariter, secundo exemplariter, ibi:

«Ut videant
oculi»

. Prima iterum in duas, quia primo determinat de ordine divisive, quia, ut dictum est, dispositio est idem quod ordo, secundo determinat de ipso et suis membris, ibi: '«Linea strate»'.

(59) Dicit ergo quod "ordo bifurcat iter", id est duobus modis disponitur aliqua materia per ornatum verborum:

aut secundum ordinem naturalem, quem impositio dedit
verbis, aut per ordinem artificialem, quem habemus ab industria
artis et ingenii, ut apparet per exordium.

(60) '«Linea strate»': hic prosequitur et declarat de ipso
ordine et suis membris. Et duo facit, quia primo declarat
de utroque in se et absolute sub quadam methafora, secundo
comparat unum ad alterum, ibi: '«Ordinis est primus»'.
Prima in duas, quia primo manifestat ordinem naturalem
sub methaphora strate, secundo manifestat ordinem artificialem

[Page 109]

sub methaphora limitis seu tramitis, ibi:

«Limite
currit»

(61) Dicit primo quod sicut strata est via valde communis
in qua non erratur, ita ordo naturalis est quid commune
in quo non erratur nec pulchritudo aliqua acquiritur. Littera
plana est.

(62) '«Limite currit»': hic declarat ordinem artificialem et
duo facit, quia primo ipsum sic manifestat, secundo circa
hoc movet et removet quandam dubitationem, ibi:

«sed in
hoc»

(63) Dicit primo quod sicut limes est quedam via abbreviata
ad cito perficiendum et delectandum, ita ordo artificialis,
variando dicta, delectat et cito concludit intentum
delectando.

(64) '«Sed in hoc»': hic respondet tacite questioni que posset
fieri, unde dicit quod, postquam ordo artificialis sic variet
ordinanda, non tamen peccat, ymo ex hoc acquirit honorem.
Et reddit rationem quia ars ita scit artificiose facere
"ut non pervertat". Littera plana est.

7.

(65) 'ORDINIS EST PRIMUS' ET CETERA: in parte precedenti autor determinavit de ordine naturali et artificiali in se et absolute sub quadam methaphora. Hic comparat istos modos inter se assignando causam sive differentiam et duo facit, quia primo facit quod dictum est, secundo removet quandam dubitationem, ibi: '«Circiter hanc»'.

(66) Dicit primo quod ordo naturalis est sterilis, id est non dat nisi unum modum inchoandi quamlibet materiam, sed ordo artificialis est fertilis quia dat octo modos qui dicentur statim.

(67) '«Circiter hanc»': hic removet dubitationem et duo facit, quia primo removet eam, secundo prosequitur de modis ordinis artificialis, ibi: '«Patentem ecce»'.

[Page 110]

(68) Dicit primo quod forte iste ordo artificialis videbitur valde durus et ipse tollit istam dubitationem dicens quod doctrina sequens dabit omnem claritatem; unde dicas: «Que cura? Superest!»,

[Column f3r.a]

//3ra// quasi dicat «Nulla est cura», quia "sequentia verba" et cetera.

(69) '«Patentem Ecce»': hic, postquam proposuit modos ordinis artificialis, de ipsis prosequitur et duo facit, quia primo disponit se ad determinandum de ipsis, secundo de eis determinat, ibi: '«Ante fores»'. Littera plana est.

8.

(70) 'ANTE FORES' ET CETERA: hic prosequitur autor de ipsis modis ordinis artificialis et duo facit, quia primo ponit omnes predictos modos, secundo recapitulat, ibi:

«Sunt
ita principii»

. Prima in quattuor, secundum quod sunt quattuor modi generales. Nam primus modus est quando finis materie ponitur pro principio et de ipso fit exordium; secundus est quando medium materie ponitur in principio. Tertius est quando proverbia ponuntur competentia tribus partibus materie – scilicet principio, medio et fini – in ipso principio et de ipsis fiunt exordia. Quartus modus est generalis, scilicet quando exempla ponuntur similiter competentia ipsis partibus materie et fiunt exordia. Qui duo modi ultimi dividuntur in tres speciales, ut patet in littera. Secunda ibi: '«Primus apex»'; tertia ibi: '«Si pars prima»'; quarta ibi: '«Sic opus»'.

(71) Dicit ergo quod ipsa pars operis que est prima secundum ordinem "ante fores expectet", id est non ponatur, sed finis debet poni in principio et addit quod contingit hoc artificialiter, non naturaliter, cum dicit '«Finem natura locavit»'. Et nota quod licet omnia ista sint satis plana per exempla que autor ponet per ystoriam Androgei, ad maiorem tamen evidentiam introducendum est ystoriam Habrae.

[Page 111]

(72) Scriptum est enim in lege Dei quod Deus precepit Habrae quod deberet ei filium suum Ysaac immolare; quod volens exequi, accepit ipsum et ligna et ignem et asinum cum servis et, pergens ad montem, sequestratis servis et omnibus necessariis preparatis, volebat filium ymolare. Modo exordiamur eam sic: prima pars huius ystorie est Habraam, secunda est ductio filii ad sacrificium, tertia est reversio eius cum filio incolumi. Sumitur finis ergo pro principio sic:

«Habraam salvo filio a sacrificio est reversus,
qui tamen ea fide Dominum precipientem audierat
ut sibi filium ymolaret»

.

9.

(73) 'PRIMUS APEX' ET CETERA: hic docet quomodo medium ponitur pro principio et duo facit, quia primo facit hoc, secundo commendat talem modum et etiam precedentem, ibi: '«Trahit ars»'.

(74) Sumitur igitur artificiale principium a medio hoc modo:

«Dum Habraam cum filio montem ascenderet, ipsum rediturum servi cum asino expectabant. Preceperat enim illi Deus sibi filium quem diligebat tenerrime ymolare, ad ostendendum quod Deus est super omnia diligendus»

(75) '«Trahit ars»': hic commendat autor istum modum, scilicet ponendi medium pro principio vel finem. Littera plana est.

(76) '«Prestigiatrix»': id est incantatrix. Nota quod 'prestigium' est humanarum sensuum illusio et est species quedam magice artis.

10.

(77) 'SI PARS PRIMA' ET CETERA: hic ostendit quomodo proverbia sumuntur et duo facit, quia primo ostendit naturam proverbiorum, secundo ostendit quod tribus partibus adaptantur. Secunda ibi: '«Hoc genus»'.

(78) Dicit ergo "si prima pars velit" et cetera, id est «Si

[Page 112]

vis retinere pulcriorem ordinem artificialem,

[Column f3r.b]

//3rb// quam

sumere principium a medio vel a fine, sume proverbia vel exempla», "sententia sumpta", id est sumpto aliquo generali quod non sit de themate, "ad speciale nichil" et cetera, quasi dicat «Non debet tangere materiam specialem per verba posita in proverbio». '«Nolit meminisse»': id est nichil de materia dicat aperte. Nota differentiam inter proverbium et exemplum: debet enim exemplum habere apertam similitudinem cum parte thematis cum qua ponitur, sed proverbium non '«supra thema datum»' et cetera.

11.

(79) 'HOC GENUS' ET CETERA: hic ostendit quod proverbia tribus partibus adaptantur, scilicet principio, medio et fini. Littera per se patet. Nota quod proverbium sumitur iuxta principium ut si dicatur sic:

«Fides est meritoria que servire
Deo properat affectanter. Ex hoc patriarcha Habraam
iustificatus est, qui, precipiente Domino ut ymolaret sibi
filium, credere non tardavit»

·
'Proverbium' est sermo brevis communi hominum opinione generaliter approbatus, quod, secundum quod hic sumitur, idem est quod 'sententia', que sic describitur:

«Sententia est oratio de moribus sumpta que quid sit aut quid esse oporteat in vita convenienti brevitate ostendit»

·
(80) iuxta medium sumitur proverbium sic:

«Servilis
abiectio scire secreta sui domini non meretur. Propter
hoc servus Habrae, velut indignus, ad sacrificium non
ascendit, sed tamquam brutus cum bruto remanens animali,
quid ageretur a Domino ignorabat»

·
(81) Quandoque sumitur proverbiale principium iuxta finem, hoc modo:

«Dignum est fidem suo premio non carere.
Propterea fidelissimus patriarcha Habraam filium
quem super aram obtulerat meruit incolumem obtinere»

·
(82) '«Surculus»': id est proverbium. Dicitur nasci ex triformi

[Page 113]

matre, quia vel ex principio vel medio vel fine; et si esset aliquod proverbium quod oriretur ex principio, medio et fine – id est quod possit aptari his tribus – illud esset optimum et diceretur tunc vere nasci ex matre triformi. Et dicitur 'surculus' quia, sicut surculus qui nascitur ex aliqua arbore decisa debet sapere naturam arboris et sapit, ita proverbium quod nascitur ex aliqua parte materie debet sapere naturam et sententiam illius partis, ita quod ei possit optime adaptari.

(83) '«Sed manet»': per hoc notat difficultatem inventionis proverbii.

12.

(84) 'SIC OPUS' ET CETERA: hic ostendit quomodo sumitur principium per exempla et duo facit, quia primo ponit naturam exemplorum ostendendo quod tribus partibus adaptantur, secundo comparat ea ad invicem cum proverbiiis, ibi: '«Comparat exemplis»'. Quod totum planum est, sed, ut possit melius apparere, ponenda sunt exempla.

(85) Exemplum sumitur iuxta principium, ut in predicta ystoria Habrae, si dicam sic:

«Bona arbor generat bonum
fructum. Sic utique fidelis senex fidelem filium generavit,
quem sibi Dominus, quasi fructum acceptabilem, voluit
super altaris aram offerri»

(86) iuxta medium sumitur principium exemplare, sic
ut si dicam:

«Lolium debet a tritico separari ne panis inde
proveniens amarescat. Revera servus Habrae, qui erat lolium,
quasi infidelis debuit a tritico sacrificii separari»

(87) iuxta finem

[Column f3v.c]

//3vc// sumitur exemplum hoc modo:

«Quamvis sol videatur tendere ad occasum, non tamen extinguitur
sed ad lucem revertitur clariorem. Ita filius patriarce,
velut ad mortis occasum ductus, non fuit extinctus,
sed luce clariori quasi sol oriens, est reductus»

[Page 114]

(88) '«Comparat exemplis»': hic comparat proverbia et exempla
ad invicem dicens quod '«sola venustas»' et cetera.

(89) '«Sunt ita»': hic recapitulat omnes dictos modos ordinis
artificialis ostendens quod numero sunt octo, facta divisione
duorum ultimorum in sua membra.

13.

(90) 'UT VIDEANT' ET CETERA: in parte precedenti autor
determinavit de dispositione generaliter. Hic determinat
de dispositione exemplariter et duo facit, quia primo premitit
fabulam sive ystoriā Minois regis Cretensis pro
thematē, quē habet partes tres ad modum plante, scilicet
principium, medium et finem, sicut quolibet materia narranda,
secundo docet eam exordiri tam per ordinem naturalem

quam per ordinem artificialem, ibi:

«Exorditur
eam»

.
(91) Primo, ad evidentiolem doctrinam, est prenotandum quod Minos, rex Cretensis, fuit Iovis et Europe filius habens filium unicum nomine Androgeum quem ad Studium Atheniensium destinavit, cupiens ipsum scientiis et virtutibus insigniri sive redimiri; quo livore sociorum perperam interempto, pater, rumoribus sinistris excitatus, regem Atheniensem, huius facinoris actorem, invasit. Qui decennio civitatem obsedit. Sed cum tota vis obsessi in capillo quodam purpureo resideret, Minos potius consuluit quam arma moveret et filiam obsessi, pollicito coniugio, ad proditionem paternam attraxit si vellet predictum capillum transmittere. Quo facto, capta est civitas, pater exulavit et filia Minois promissione fraudata: gladio sunt transfixi. Tandem pater Nisus in alitem est mutatus et filia in alaudam, quod a poetis dicitur fabulose.

(92) Hec igitur fabula tres habet partes, scilicet Minoem, Androgeum et Sillam; volens autem quis eam exordiri, incipit ab ordine naturali, hoc est a laudibus Minois. Dicit ergo quod sic possumus exordiri:

«Minoem Cretensibus
imperantem Natura insignivit deliciis, faciem signavit privilegio
pulcritudinis, lingue infudit eloquentie torrentem,[Page 115]
corpus armavit virium probitate»

et cetera, ut clare dicitur
in littera.

(93) '«Exorditur»': hic docet predictam fabulam exordiri tam per ordinem naturalem quam etiam per ordinem artificialem et duo facit, quia primo docet qualiter ipsa fabula debeat inchoari secundum ordinem naturalem, secundo docet qualiter inchoari debeat secundum ordinem artificialem, ibi: '«Ars a fine rei»'.

(94) Dicit primo quod "natura", id est ordo naturalis, "exorditur", id est describit, "eam tali tenore", id est tali ordine et cetera, "in omnibus eque", quasi dicat:

«Tanta
venustas respondet moribus quanta decet regem eque»

.

14.

(95) 'ARS A FINE' ET CETERA: hic docet ipsam fabulam exordiri ordine artificiali et quattuor facit sicut quattuor sunt modi in generali, secunda ibi: '«Possumus a medio»'; tertia ibi: '«Ipsi principio»'; quarta ibi: '«Principio [Column f3v.d] //3vd// servit»'.

(96) Dicit primo quomodo possumus uti ordine artificiali sumendo finem pro principio, quod aperte patet in littera.

15.

(97) 'POSSUMUS' ET CETERA: hic docet autor quomodo, si volumus sumere vel uti ordine artificiali, possumus sumere medium pro principio.

16.

(98) 'IPSI PRINCIPIO' ET CETERA: hic docet autor quomodo secundum ordinem artificialem proverbium sumitur tribus modis, scilicet iuxta principium, iuxta medium et iuxta finem. Secunda ibi: '«Ad medium»'; tertia ibi: '«Finis in hac»'.

17.

(99) 'AD MEDIUM' ET CETERA: hic docet autor quomodo sumitur proverbium secundum ordinem artificialem iuxta medium.

18.

(100) 'FINIS IN HAC' ET CETERA: hic docet autor quomodo sumitur proverbium iuxta finem.

19.

(101) 'PRINCIPIO' ET CETERA: hic docet autor quomodo secundum

[Page 116]

ordinem artificialem exemplum sumitur tribus modis, scilicet iuxta principium, iuxta medium et iuxta finem. Secunda ibi: '«Exemplum medii»'; tertia ibi: '«Sic sumpto»'. Constructus est planus.

20.

(102) 'EXEMPLUM MEDII' ET CETERA: hic docet quomodo secundum ordinem artificialem exemplum sumitur iuxta medium.

21.

(103) 'SIC SUMPTO' ET CETERA: hic docet quomodo sumitur iuxta finem.

22.

(104) 'PRINCIPIO' ET CETERA: expedita dispositione que habet fieri in ingressu, uno modo quantum ad ordinem naturalem et octo modis quantum ad ordinem artificialem, nunc exequitur de illa dispositione que habet fieri in progressu, que fit duobus modis, aut ampliando, ut hic, aut restringendo, ut ibi: '«Si brevis esse velis»'. Prima pars dividitur in duas quia primo continuat, secundo exequitur, ibi: '«Si facis amplum»'. Prima igitur in duas, quia primo dat intentionem suam, secundo declarat, ibi:

«Curritur in
bivio»

(105) Dicit primo quod "ars prescripta", id est ordo artificialis de quo iam dictum est, "dedit varium tenorem", id est varium modum incipiendi, distinctis methodis, id est separatis viis; nam methodus, id est scientia abbreviata, "premente", id est prius in mente.

(106) '«Curritur»': hic declarat et duo facit, quia primo declarat, secundo reddit nos attentos ex rei difficultate, ibi: '«Non absque»'.

(107) Dicit primo quod nos possumus duobus modis procedere in qualibet materia: vel ample et prolixè vel stricte et breviter, sicut inferius apparet per exemplum quod probat per stratam et semitam methaphorice. Littera plana est.

[Page 117]

(108) '«Non absque»': hic reddit nos attentos ex rei difficultate et duo facit, quia primo facit quod dictum est, secundo reddit nos dociles et benivolos ex materie facili pertractatione, quia habet modum et naturam cere que pertractatur ad ignem, et materia ad intellectum studentem. Ibi: '«Formula»'. Littera patet.

(109) '«Formula»': hic reddit nos dociles et benivolos ex materie facili pertractatione, dicens "Formula",

[Column f4r.a]

//4ra// id
est comparatio materie, "est ad ceram" et cetera.

23.

(110) 'SI FACIS': hic prosequitur in speciali de modis ampliandi et dividitur hec pars in partes octo, sicut sunt octo modi ampliandi. Secunda ibi: '«Est gradus»'; tertia ibi:

«Tercius
est graduum»

; quarta ibi: '«Latius ut»'; quinta ibi:
'«Quinta coadiutrix»'; sexta ibi: '«Si velit»'; septima ibi:

«Septima
succedit»

; octava ibi: '«Restat adhuc»'.

(111) Primus modus inter istos est interpretatio, de qua dicit Tullius quod

«Interpretatio est que non iterans idem
reintegrat, sed id mutat, quod positum est, alio verbo,
quod idem valeat»

, ut ipse exemplificat dicens

«Scipio vicit
Cartaginem, civitatem delevit, rem publicam destruxit»

. Et
vocatur color iste poliptoton. Et idem dicit autor iste ibi:

«non uno veniat contenta paratu, sed variet vestes et mutatoria
sumat»

. Nam ista tria Latine idem important et multum
valent ad ampliandum. Littera plana est.

24.

(112) 'EST GRADUS' ET CETERA: hic ponitur secundus modus qui est circuitio vel circumlocutio. Est circuitio vel circumlocutio, ut dicit Tullius,

«oratio rem simplicem assumptam
circumscribens elocutione»

. Ut cum dicitur «Scipio
vicit Cartaginem», possum dicere

«Prudentia Scipionis
arcem Cartaginis fregit»

, nam iste multe dictiones pro una
ponuntur et idem important quantum ad nostrum intentum.

[Page 118]

Sed refert inter interpretationem et circumlocutionem quia interpretatio habet fieri in tota oratione, circuitio autem in tota sive in sola dictione. Et duo facit, quia primo describit circuitiorem, secundo ostendit quod habet fieri in supposito et apposito vel utroque modo simul sive terminationibus illorum, ibi: '«Cum triplici»'.

(113) Dicit ergo quod "gradus ulterior", id est secundus modus ampliandi, est tunc, scilicet "quando, quia dictio", scilicet "vox curta", "transilit aures, sermo fit vicarius eius". Totum est planum.

(114) '«Cum triplici»': hic dicit quod circuitio habet fieri in supposito et apposito vel utroque modo simul sive terminationibus illorum. Littera per se patet.

25.

(115) 'TERCIUS' ET CETERA: hic agit autor de tertio modo ampliandi materiam qui appellatur comparatio vel similitudo, iuxta quod sciendum quod – ut dicit Donatus in *Tropis* – onomotopeya Grece interpretatur, similitudo Latine, cuius species sunt tres, scilicet ycos (quod est ymago) et paragdigma (quod est exemplum) et parabola (quod est comparatio), que etiam quodammodo appellantur similitudo. Sed hic solum determinat de comparatione, que est specialis species similitudinis de qua consuevit dici quod comparatio est collatio rei ad rem secundum magis, minus et eque. Sed ista diffinitio non comprehendit omnia que hic determinantur de comparatione, saltem de occulta. Et duo facit, quia primo proponit eam cum quadam divisione, secundo prosequitur de ipsa per membra, ibi: '«collatio que fit aperte»'. De his exempla breviter ponenda sunt, que purgent scrupulos textus.

(116) Per magis fit aperte comparatio sic: «Qui furtum committit suspenditur, ergo multo magis qui sacrilegium comittit est

[Column f4r.b]

//4rb// suspendendus». Per minus sic: «Qui furtum committit veniam non meretur, igitur multo minus qui sacrilegium». Per eque sic: «Catilinam rem publicam subvertentem Cicero <non> interfecit, vos Grecum subvertentem rem publicam non occidetis».

[Page 119]

(117) Dicit ergo sic: "collatio", id est comparatio, "facta biformi lege", id est duobus modis, "declarat vel occulte vel aperte: est tertius graduum", id est tertius modus ampliandi. Et iterum melius declarat dicens "respice quedam" quantum ad occultam, "sed quedam signa revelant" quantum ad manifestam, "nodum iuncture", id est eorum que sunt ibi comparata.

(118) '«Collatio que»': hic prosequitur de membris et duo facit, quia primo prosequitur de utraque, secundo commendat eas, ibi: '«Hoc genus est»'. Prima in duas, quia primo determinat de manifesta, secundo de occulta, ibi:

«Que fit
in occulto»

(119) Dicit primo quod illa comparatio que fit manifeste, fit mediantibus signis, scilicet istis: magis, minus et eque. Sed quia exempla posita sunt supra, ideo hic non pono. Hec inquam: "collatio se gerit in simili specie", id est in simili qualitate, id est utraque pars ponitur (scilicet comparationis), videlicet "in simili specie", id est de homine ad hominem, de equo ad equum et sic de singulis.

(120) '«Que fit in occulto»': hic determinat de occulta comparatione. Sic:

«Yrundines estivo tempore presto sunt,
frigore autem pulse recedunt»

, non ponendo aliam partem
similitudinis que esset sic:

«Falsus amicus tempore prosperitatis
assidet amico, sed tempore adversitatis recedit»

. Et
in hoc differt ab illa que fit in aperto, scilicet quod quidam
dicant quod differant quia prima fit tantum in una
specie, scilicet in homine vel in asino, alia autem fit in diversis
specibus; sed hoc non est de intentione auctoris quia
non intendit auctor comparisonem facere de specie ad speciem,
sed fit in simili specie, id est utraque pars similitudinis
ponitur. Et nota quod ista exempla que posita sunt faciunt
potius ad aringatorem quam ad dictatorem, sed ad

[Page 120]

dictatorem faciunt ista:

«Bonus pastor quantum potest invigilat
suo gregi, ita summus pontifex debet suo populo attentissime
vigilare»

. Et hec est in eque. In magis sic: «Animal
irrationale quantum potest intendit profectui suorum
filiorum, igitur multo magis homo, qui est rationalis, debet
facere illud idem». In minus sic: «Animal irrationale non
nocet sponte suis filiis, igitur multo minus homo, qui est
rationalis, debet nocere suis sponte».

(121) De occulta comparisonem sic: si aliquis esset in
custodia alicuius castri, in quo esset aliquis qui faveret extrinsecis
vel qui esset subdolos vel rapax, posset aliquis suos
amicus sic scribere ei: «Cave tibi a vespertilione vel vulpe
vel lupo», non dicendo plus.

(122) «Hic»: quoad illud cui comparatur.

(123) «Ibi»: quoad illud de quo fit comparatio.

(124) «Hoc genus»: hic commendat tales comparisones
dicens quod multum faciunt ad ornatum et dicit quod si
bene plantentur in ipso dictamine, non erunt contigue
sed continue.

(125) «Sollemnior usus» dicit quia magis utimur comparisonem
quam aliis modis;

[Column f4v.c]

//4vc// unde Lucanus de Pompeio
dicit quod est quasi quercus, de Cesare facit comparisonem
ad fulmen.

26.

(126) 'LATIUS UT CURRAS' ET CETERA: hic determinat autor de quarto modo ampliandi materiam qui dicitur apostropha sive exclamatio. Et dicitur apostropha ab 'epy', quod est 'supra', uno modo, et 'strophos', quod est 'sonus', quasi 'supra sonus', id est 'magnus'. Vel apostropha idem est quod sermo conversivus. Fit autem causa correptionis vel reprehensionis in materia excedente modum et propriam mensuram et maxime in quattuor affectibus animi, scilicet gaudio, dolore, spe et timore, vel reducibilibus ad istos, ut

[Page 121]

iactantia et superbia. De quibus ait Boetius:

«gaudia pelle, /
pelle timorem / spemque fugato / nec dolor adsit»

, quia modus
est habendus in omnibus et mensura, ut dicit Oratius:

«Insani sapiens nomen ferat, equus iniqui, / ultra quam satis
virtutem si petat ipsam»

. Et duo facit, quia primo proponit
intentionem suam ostendendo ad quid valeat talis
modus per modum doctrine, secundo dictum suum declarat
per exemplum, ibi: '«Serviat exemplum»'.

(127) '«Delecteris ea»': quia, ut dicit Oratius,

«poterat duci
quia cena sine istis»

, quasi velit ostendere quod ista non
sunt de essentia materie, sed ponuntur ad bene esse. Et
hoc probat autor per simile sumptum a cena vel a mensa,
dicens '«sine qua satis esset habundans»', quasi dicat: «Bene
poterat prolongari sermo vel materia sine apostropha, tamen
quanto magis abundant fercula, tanto magis mensa
splendet». Quod totum patet.

(128) '«Serviat exemplum»': hic exemplariter declarat
quod dispositum et duo facit, quia primo proponit causam
dicti sui, secundo exequitur de exemplis, ibi: '«Cui nimis»'.
Littera plana est.

(129) '«Nec casus sufficit»': id est non sufficit unus modus
ampliandi materiam per apostropham, sed "plenus erit numerus",
scilicet senarius – qui ideo dicitur plenus – quia
constat ex omni parte sui. Et ideo ponit sex exempla de
apostropha, licet multis aliis possit fieri.

27.

(130) 'CUI NIMIS' ET CETERA: hic, ut dicebatur, prosequitur de intento et duo facit, quia primo ponit quattuor modos principales, secundo tangit quendam modum qui consequitur ex dictis, ibi: '«Contra ridiculos»'. Prima in quattuor, secundum quod quattuor sunt affectus animi: secunda ibi: '«Rebus in adversis»'; tertia ibi: '«Tempore successus»'; quarta ibi: '«Temporibus luctus»'. Prima iterum in duas, quia primo

[Page 122]

ponit unum principalem modum ex dictis, secundo ponit quendam alium modum incidentaliter qui videtur sequi ex isto primo, scilicet contra iactantiam que videtur causari ex aliquo iocundo alicui imminenti, non vero, modo, de quo cupiat habere laudem, ibi: '«Si quem iactatrix»'.

(131) Ponit ergo primum exemplum apostrophe contra affectum animi dicens "apostropha, surge in illum cui mens surgit nimis in letis", id est qui nimium gaudet et non previdet quod, futurorum, sibi posset evenire. Contra quem dicit Boetius: '«gaudia pelle»' et cetera. Et Ovidius, *De faustis*: '«Quid, victor, gaudes? Hec te victoria perdet»'. Et Cato: '«Prospice, qui veniunt, hos casus esse ferendos»'. Et Seneca:

«Si fueris sapiens tribus temporibus tuus animus
dispensetur: preterita memora, presentia considera, et futura
[Column f4v.d]
//4vd// previde»

. Item Ovidius:

«Exitus acta probat.
Cereat successibus, opto, / quisquis ab eventu facta notanda
putat»

. Et Boetius:

«Non solum quod ante oculos positum
est suffecerit intueri, sed rerum exitus prudentia
metitur»

(132) '«Syrenas exemplar habe»' et cetera: fabula talis est. Sirenes fuerunt pedisece Proserpine, que dulces cantus mutaverunt in pescem propter iram <Cereri>, qua eas verberavit; propter quod mutavit eas in belluas marinas. Et interpretatur 'syren' id est 'attractio'.

28.

(133) 'SI QUEM IACTATRIX' ET CETERA: hic ponit exemplum apostrophationis, scilicet contra iactantiam incidenter que, ut dictum est, videtur sequi ex primo. Videtur enim causari ex aliquo iocundo alicui iminenti, non vero, modo, de quo cupiat habere laudem; unde iactantia est laus propria absque meritis causarum prolata. Et debuit ista pars dividi a precedentibus et non a sequentibus. "Sumere noli", quia quandocumque id sumis superfluum est, ergo noli illa sumere

[Page 123]

in quibus presumptio videatur, "te finge minorem" ,
ac si dicat: «Noli te laudare et alios vituperare».

29.

(134) 'REBUS IN ADVERSIS 'ET CETERA: hic determinat auctor de secundo affectu animi, licet sit tertium exemplum, qui est timor, scilicet quo apostrophare debemus contra aliquem qui nimis timeat, assidue, timenda et non timenda. Et innuit differentiam inter timentem et timidum – sicut inter patens et patulum, lucens et lucidum – et est ista: nam timidus est ille qui semper timet timenda et non timenda, timens est ille qui quandoque timet et quandoque non, id est qui timet timenda tantum, unde versus

«Qui metuenda
timet et non timidus reputatur, / qui tantum timeat metuenda
timensque vocatur»

. Similiter patens est illud quod
ad tempus patet, ut oculus, patulum autem quod semper
patet, ut auris.

(135) '«Sit timor»': quasi dicat «Timor sit tibi hospes qui cito recedit et non incola qui non recedit et ideo disce, disce dolere – exemplificat de dolore – spe grandi». Unde versus:

«Portatur leviter quod portat quisque libenter, / quod fert
invitus colla dolere facit»

30.

(136) 'TEMPORE SUCCESSUS' ET CETERA: in parte precedenti auctor docuit nos prolongare materiam nostram per secundum affectum qui est timor, quomodo scilicet nos debemus apostrophare ad aliquem qui nimis timeat. Hic docet nos longare materiam nostram per tertium affectum qui est spes – scilicet quomodo debemus apostrophare contra aliquem qui nimis sperat de aliquo sibi prospero quod non deficiat sibi – et adducit exemplum regis Ricardi Anglici. Et duo facit, quia primo proponit intentum suum in generali, secundo dat exemplum in speciali de Anglia, que nimium confidebat de suo rege, ibi: '«luctus presaga»'.

(137) Dicit primo "O, tu dictator, tu potes loqui hoc

[Page 124]

ore", id est hac locutione, <id est> apostrophe, "tempore successus", id est tempore iocundi fati, id est tempore prosperitatis bone; unde in hac parte intentio auctoris est, ut dictum est, docere nos prolongare thema nostrum, unde multum possumus ampliare nostrum dictamen in tali materia, sicut auctor iste facit.

[Column f5r.a]

//5ra// Posset enim aliquis simpliciter dicere si nollet ampliare: «Frater, responde! Cum sis in magna prosperitate noli superbire, sed cogita quid tibi accidere possit in futuro».

(138) '«Luctus presaga»': hic dat exemplum, scilicet quomodo nos possumus apostrophare contra Angliam. Et duo facit, quia primo laudando regem ostendit quod poterit confidere, sed non tantum quantum faciebat, secundo docet vaticinari verum et vero modo, ibi: '«Attamen istud»'. Prima in duas, quia primo laudat regem Richardum a forme speciositate, a virtutum claritate, a virium probitate, a facie ac laudis serenitate et a generis nobilitate, que omnia plana sunt; secundo ostendit quod omnia mutabuntur ei in contrarium, ibi: '«Sed viribus absit»'. Prima iterum in duas, quia primo facit quod dictum est, secundo ponit conclusionem generalem omnium laudum regis Richardi, ibi:

«Claudam
singula»

. Littera plana est et constructus.

(139) '«Claudam»': hic ponit conclusionem generalem omnium laudum regis Richardi. Littera per se patet.

(140) '«Sed viribus»': hic ponit quod omnia ista mutabuntur ei in contrarium, scilicet ipsi Anglie propter mortem regis Richardi.

(141) '«Iam cito»': hic respondet omnibus supradictis. Et nota quod de ipso dicit ac si viveret et redde singula singulis quia dixit superius:

«Rex tuus est speculum, quo speculata
superbis»

.

(142) '«Attamen istud»': hic ostendit unde Anglia possit scire istam ruinam regis Richardi et duo facit, quia primo removet quedam que non sunt vera, secundo ostendit illa que sunt vera, ibi: '«Hoc unum prescire»'. Prima in duas,

[Page 125]

quia primo enumerat illos modos vaticinationis non veros, secundo illos removet, ibi: '«Tolle mathematicos»'.

(143) Primo ergo respondet auctor ad id quod posset dicere Anglia, scilicet: «Sciam per auguria vel per artes magicas

mortem regis Richardi». Ad quod respondet dicens «O Anglia, rimaberis tu», id est inquires tu, «ab istis vaticinatoribus unde prescias hoc?», quasi dicat 'non'.

(144) '«Tolle mathematicos»': hic removet illos modos vaticinationis non veros dicens '«Tolle mathematicos»', id est divinatores.

(145) '«Est augur»': redde singula singulis et nota quod auctor tangit hic multas divinationes antiquorum. 'Augur' dicitur ab 'ave' et 'garrio', 'auspiciu' ab 'ave' et 'specio', quia divinabant in motu avium. Apollo dicitur deus dans responsa in ecclesia Phebi, id est Apollinis, quo erat tripes, id est altare, ubi divinabant homines. Et Sibilla similiter sciebat in foliis futura. Que omnia vetita sunt ab Ecclesia.

(146) '«Tripodas Phebi»': id est illas mensas in templo Apollinis ubi dabantur responsa in Delo insula, sive in Parnaso; et dicebantur habere tres pedes quia significabant tria tempora, scilicet presens, preteritum et futurum.

(147) '«Foliumque Sibille»': Sibilla dicitur a 'sios', quod est 'deus', et 'bole', quod est 'sententia', quasi 'sententia divina', quia semper scribebat in folio lauri, ut patet in Lucano cum dicitur quod '«Cumane carmina vulgata sunt»', quia fuit de Cumis.

(148) '«Hoc unum prescire»': hic ostendit infallibilem modum unde Anglia possit scire quia, cum Richardus sit immensus, et in summo loco stare non possit naturaliter, dicente Lucano:

«sed fors incerta vagatur / fertque refertque
vices et habent mortalia casum»

. Et idem:

«summisque negatum / [Page 126]

stare diu [Column f5r.b]

//5rb// nimio que graves sub pondere lapsus»

.
Et probat quod mortalia finiantur, quia Minos, rex Cretensis, ut iam dictum est, subvertit Athenas, Atrides, id est Agamenon, propter Helenam subvertit Ylion, id est Troiam, et Scipio, maximus Romanus, Cartaginem; et fuit alea, id est fortuna, multis pugnantibus pro illa et modo nichil sunt. Et probat hoc per ipsam Romam quod plus est.

31.

(149) 'TEMPORIBUS LUCTUS' ET CETERA: hic determinat auctor de quarto modo sive affectu animi, licet sit quintum exemplum propter causam supradictam, scilicet de dolore. Et est dolor passio corporis sive cordis, causata ex amissione presentis prosperitatis, sicut de rege Richardo. Qui, cum processisset contra quendam suum capellanum rebellem in obsidione, modo proditorio ille pretendit quod vellet reconciliari et redire, eum vocavit et, vocatum, cum balista occulta vulneravit, ita quod, inde, mortuus est. Et circa hoc ita procedit, quia primo proponit doctrinam suam in generali, secundo apostrophat contra Angliam, ibi: '«Neustria»'.

(150) Docet ergo hic autor quomodo nos possumus prolongare materiam nostram per apostropham volentes aliquem hortari ad luctum scribendo et qui receperit aliquam adversitatem perdendo dominum vel amicum vel alio modo et non doleat sicut decet, sicut decet dolere Angliam de morte regis Richardi. Patet.

(151) '«Neustria»': hic apostrophat autor contra Angliam et duo facit, quia primo facit quod dictum est, secundo apostrophat contra illos qui fuerunt causa mortis, ibi:

«O
Veneris»

. Prima in duas, quia primo apostrophat contra Angliam subiungendo gestus plangendi, secundo reddit causam, ibi: '«Tota peris»'. Littera plana est.

(152) '«Tota peris»': hic reddit causam quare debeat plangere in morte eius. Littera per se patet.

32.

(153) 'O VENERIS LACRIMOSA DIES! ' ET CETERA: hic apostrophat auctor contra illos qui fuerunt causa mortis regis

[Page 127]

Richardi et duo facit, quia primo apostrophat contra offensores, secundo contra non defensores, ibi: '«Et de te, Natura»'. Prima in tres, sicut tres fuerunt offensores, scilicet dies, miles et mors, secunda ibi: '«Traiecit»'; tertia ibi:

«O
dolor! O plus quam»

(154) '«Primus ab undecimo»': id est duodecimus, scilicet dies Martis. Fuit enim vulneratus die Veneris et die Martis mortuus est, non proxima sequente, sed subsequente; unde, incipiendo numerare a die Veneris usque ad duodecimam, duodecimus numerus terminatur in diem Martis.

(155) '«Vitricus»': est qui uxorem ex alio viro filium habentem duxit; vocat itaque 'vitricum', id est 'vite contrarium'.

33.

(156) 'TRAIECIT' ET CETERA: hic apostrophat auctor contra militem et duo facit, quia primo ponit modum occidendi, secundo ponit apostropham, ibi: '«Quid miles»'.

(157) '«Quid miles»': hic ponit apostropham contra militem. Littera et constructus est planus. Et nota quod '«miles»', quia repetitur in principio plurium clausularum, est alius color verborum qui dicitur 'repetitio'.

(158) '«Manuum fac(tura) suarum»': hoc dicit quia rex fecerat illum militem et suus vasallus erat.

34.

(159) 'O DOLOR! ' ET CETERA: hic apostrophat auctor contra mortem et tria facit, quia primo, apostrophando contra

[Column f5v.c]

//5vc// mortem, querit ab ea quare occidit regem Richardum, secundo ponit egregias dignitates seu bonitates que erant in eo, propter quas non debebat eum occidere, tertio ponit causam quare ipsum occidit. Secunda ibi: '«Scis, impia»'; tertia ibi: '«Sed istud causa»'. Littera plana est.

(160) '«Scis, impia»': hic ponit egregias bonitates que erant in eo, propter quas non debebat ipsum occidere.

[Page 128]

(161) '«Sed istud»': hic ponit causam quare ipsum occidit et patet.

35.

(162) 'ET DE TE, NATURA' ET CETERA: hic apostrophat autor contra Naturam et duo facit, quia primo ponit apostrophationem, secundo, repetens illam apostropham, facit Nature quandam petitionem quam ipsemet dicit esse inanem, ibi: '«Cur irritasti»'.

(163) '«Natura»': ideo dicit quia natura hominis nascitur cum eo neque relinquit eum usque ad mortem.

(164) '«Cur irritasti»': hic repetens autor apostrophationem facit Nature quandam petitionem.

36.

(165) 'SI FAS EST' ET CETERA: in parte precedenti autor apostrophavit contra diem, contra militem, contra mortem et contra Naturam. Hic apostrophat contra Deum et duo facit, quia primo utitur quodam colore qui dicitur 'licentia', secundo ponit apostrophationem, ibi: '«Si, Deus, es»'.

(166) '«Yope tua»': Yope et Acon civitates sunt ultramarine quas ipse recuperavit pro christianitate.

(167) '«Si, Deus, es»': hic ponit autor apostrophationem suam et duo facit, quia primo facit quod dictum est, secundo revertitur iterum ad illum colorem qui dicitur 'licentia', subiungendo quod pro magna utilitate mundi poterat differre mortem regis Richardi, ibi: '«Domine, si fas est»'.

(168) '«Cur minuisti»': hoc dicit quia mortuus accidentaliter.

(169) '«Domine, si fas»': hic revertitur iterum ad illum colorem qui dicitur 'licentia'.

37.

(170) 'CONTRA RIDICLOS' ET CETERA: hic ponit ultimum exemplum irrisiois, ostendendo qualiter apostrophare debemus contra ridiculos. Et duo facit, quia primo apostrophat ad illum qui vult apostrophare ad ridiculos dando

[Page 129]

modum et mensuram talis nature, secundo dat exemplum, ibi: '«Strenua res»'.

(171) '«Strenua res agitur»': hic ponit exemplum talis apostrophationis et duo facit, quia primo ponit exemplum, secundo epilogat ea que dicta sunt de apostropha, ibi:

«Sic
igitur»

. Prima in duas, quia primo ponit personam deridendam sub similitudine alicuius qui habitum assumeret magistralem sive cathedralem, secundo ponit modum deridendi, ibi: '«Quoddam ridiculum»'.

(172) '«Quoddam ridiculum»': hic, ut dicebatur, ponit modos deridendi.

(173) '«Sic igitur»': hic epilogat omnia que dicta sunt de apostropha.

38.

(174) 'QUINTA COADIUTRIX' ET CETERA: hic determinat autor de quinto modo ampliandi materiam, scilicet de prosopopeia, et duo facit, quia primo apostrophando ad ipsam ostendit naturam et esse ipsius, secundo exemplificat de ipsa, ibi: '«Si placet»'.

(175) Dicit ergo "O prosopopeya", scilicet "quinta coadiutrix", id est quintus modus ampliandi materiam, "veni protendere cursum ultra cui nulla potentia fandi", scilicet est, "da licite fari". Et per hoc dat naturam suam, quia prosopopeia est inductio

[Column f5v.d]

//5vd// nove persone ad loquendum quam Tullius appellat 'conformationem', et dicitur prosopopeia a 'prosopon', quod est 'persona', et 'poio, pois', id est 'fingo', quasi 'nova persona et ficta', quia prosopopeia de aliqua persona ficta, ut si terre vel celi que sunt inanimata attribuat loqui, vel agno, vel asino, vel huiusmodi.

(176) '«Sic Phetontheos»': hic tangit fabulam satis notam, scilicet Phetontis et Epaphi que talis est. Epaphus fuit filius Iovis, Pheton autem fuit filius Phebi, qui ludentes ad invicem contumeliati sunt alterutrum. Quorum unus, scilicet

[Page 130]

Epaphus, alterum, scilicet Phetontem, appellavit spurium,

qui, indignatus, ad matrem partes orientales sub rota solis habitantem accessit et diligenter de patre investigando quis esset quesivit. Illa respondens duxit eum ad rotam solis et suspiciens ait: «Per illum quem cerno ille pater tuus est». Quo audito, Pheton ascendens ad patrem suum eum salutavit, asserens se esse suum filium; quem Phebus cum magna diligentia recipiens, dedit ei licentiam petendi ab eo quamcumque gratiam vellet in signum amoris paternitatis. Hic vero, aspiciens splendidam rotam solis et equos quattuor corruscantes, petiit se velle officium aurige tractare; pater autem condolens et timens caloris intensionem, licet invitus eidem licentiam ducendi predictam rotam concessit. Pheton autem usque ad meridiem bene rexit, sed ultra, equorum ferocitatem refrenare non valens, de via zodiaca, id est solis, exorbitavit; propter quod mundus totus perustus est. Pheton autem in Eridano cecidit, ad quem ululandum sorores venientes nimia tristitia converse sunt in populos que adhuc sunt in ripa Eridani. Unde terra perusta conquesta Iovi et hoc est quod dicit quod «tellus experta» et cetera.

(177) '«Sic sparsis»': hic dicit autor quod Roma, sparsis capillis, sub forma imaginis apparuit Cesari et illi locuta est, ut clare dicitur in littera.

(178) '«Si placet»': hic declarat naturam istam per exempla et tria facit, quia materia prosopopeie est triplex: querela, scilicet iocus et ira. Et ideo primo exemplificat de querela, secundo de ira, tertio de ioco; secunda ibi: '«Si vetus exemplum»'; tertia ibi: '«Ancillatur»'. Prima in duas, quia primo proponit, secundo exequitur, ibi: '«Crux ego»'. Littera plana est.

(179) '«An sordidus»': ordo est: "ille qui videt omnia", scilicet

[Page 131]

Deus, "vidit an esses sordidus, si", id est quamvis,

"lateat
hunc mundum"

(180) '«Sed veni»': ordo est: "miserator", id est Deus, "ait: Ego veni misereri miseris, et non veni contendere de iudicio".

(181) '«Surge»': hic excitat crux sive hortatur ad redemptionem suam. Littera per se patet.

(182) '«Sed vinci plus est»' et cetera: si aliquis moritur recuperando crucem, immediate vadit ad paradisum, si autem vincit et revertitur, habet tunc solum spem eundi et potest talia committere postea quod non vadit.

39.

(183) 'SI VETUS EXEMPLUM' ET CETERA: hic determinat autor de prosopopeya irosa sive hostili et duo facit, quia primo proponit, secundo exequitur, ibi: '«In specula»'. Et

[Column f6r.a]

//6ra// differt hoc exemplum a superiori, quia in superiori introducta fuit res inanimata – puta crux – ad loquendum rebus animatis – puta hominibus –, in isto autem res inanimata loquitur rei inanimate, ut castrum provincie, et similiter in sequenti, ut mensale mense.

(184) '«In specula»': hic exequitur autor dicens quod – per Superbiam castrum – "nacta vim", id est que adquisivit vim, "in specula montis est visa ita loqui Gallis: O Gallia", id est Francigene, "quid", id est cur, "garris?". Et est sententia et constructus planus.

40.

(185) 'ANCILLATUR' ET CETERA: hic, ut dicebatur, exemplificat autor de iocosa prosopopeia accipiendo materiam ridiculosam – ut puta mensale – et duo facit, quia primo proponit, secundo exequitur, ibi: '«Ut si iam dicat»'.

(186) Dicit ergo "item", id est similiter, "alter decor prosopopeie ancillatur", id est deservit nobis vel prosopopeie, id est volenti uti prosopopeia. Cetera plana sunt.

(187) '«Gemino sic»': hic utitur autor duplici colore, scilicet

[Page 132]

rigido ubi '«Crux rapta»', iocoso ubi dicit

«Solebam esse
decus»

.

41.

(188) 'SI VELIT ULTERIUS' ET CETERA: hic agit auctor de sexto modo ampliandi materiam, scilicet de digressionem. Et est digressio cum aliquis a proposito digreditur – a propria materia – ad rem que facit ad propositum vel ad commodum sue cause. De hac autem sic determinat, quia primo describit eam notificando eius naturam, secundo exemplificat, ibi: '«Unicus astringit»'. Prima in duas, quia primo describit eam, secundo dividit, ibi:

«Est etiam
quedam»

(189) Dicit primo quod digressio est quando aliquis incepit dicere de una materia et statim exit de illa et assumit quandam aliam que faciat aliquo modo ad illam. Sed parum debemus recedere ab illa et subtilitas in hoc exigitur. Est autem sciendum quod digressio est duplex, scilicet utilis et inutilis. Utilis est quando aliquis, dimisso cursu sue materie, tendit ad aliud quod facit ad commodum sue cause, ut Tullius in *Verinis*, qui, volens reprehendere Verrem de adulterio vel accusare, digressus est describere fontes et loca amena per que transivit cum regina, ut per hoc ostendat quod commisit adulterium cum ea. Nota tamen quod debet ita digredi dictator quod facile et cito possit ad suam regredi materiam. Inutilis est quando quis, dimisso cursu sue materie, digreditur ad ea que non faciunt ad commodum sue cause, et hoc damnat Oratius in *Poetria* sua, ubi dicit: '«cum lucus et ara Dyane»' et cetera; et ibi: '«Inceptis gravibus»'.

42.

(190) 'EST ETIAM QUEDAM 'ET CETERA: superius descripsit autor naturam digressionis, hic ipsam dividit et distinguit

[Page 133]

ut postea procedat de illa de qua intendit. Nam duplex est digressio. Est enim una digressio, que idem est quod exitus materie, ad quedam utilia illi materie; et naturam huius descripsit autor superius et de ista intendit auctor. Est alia digressio, que idem est quod ordo artificialis, et istam distinguit autor hic, id est separat a

[Column f6r.b]

//6rb// superiori,
quia non intendit hic determinare de ipsa, quia determinavit de ipsa superius, ibi: '«Ordo bifurcat iter»', quod aperte patet intuenti.

(191) '«Unicus»': hic exemplificat autor et tria facit, quia primo inchoat quandam materiam, secundo digreditur ab ea, tertio regreditur. Secunda ibi: '«Veri cedit»'; tertia ibi: '«Hec temporis»'. Partes patent.

(192) '«Veri cedit»': hic digreditur autor a proposito describendo impregnationem arborum et herbarum.

(193) '«Hec temporis hora»': hic reddit autor ad materiam primam, dicens quod hi qui sic erant coniuncti prius, modo dissociati sunt et cetera.

43.

(194) 'SEPTIMA SUCCEDIT' ET CETERA: hic determinat autor de septimo gradu ampliandi materiam, scilicet de descriptione, que sic a Tullio diffinitur: descriptio est que rem simplicem absolute describit. Et ponitur hic descriptio pro omni modo notificandi, sive sit diffinitio sive descriptio indifferenter. Et nota quod descriptio et digressio differunt, quia digressio describit digrediendo, sed descriptio describit rem absolute. Et duo facit, quia primo proponit naturam descriptionis, secundo exemplificat, ibi:

«Sint
variata»

(195) '«Pregnans»': dicit propter proprietates existentes in rebus.

(196) '«Sunt variata»': hic exemplificat autor et duo facit,

[Page 134]

quia primo disponit se ad hoc, secundo ponit exempla, ibi: '«Femineum»'.

44.

(197) 'FEMINEUM' ET CETERA: hic ponit exemplum et duo facit, quia primo ponit exemplum rei animate, secundo ponit exemplum rei inanimate, ut puta convivii, ibi:

«Sed,
cum sit for(me)»

. Prima in tres, quia primo describit mulierem quantum ad substantiam, secundo quantum ad ornatus eius, tertio preponit ipsam apud Iovem omnibus pulcris quas olim Iupiter adamavit; secunda ibi: '«Forme tam picte»'; tertia ibi: '«Si Iupiter illis»'.

45.

(198) 'FORME TAM PICTE' ET CETERA: hic, ut dicebatur supra, describit Iovis mulierem quantum ad actus extrinsecos. Littera patet.

(199) '«Si Iupiter illis»': hic preponit mulierem tam bene ornatam – et quo ad substantiam et quo ad habitum – omnibus illis que fuerunt dilecte a Iove et ponit ex illis multas, ut patet in testu.

(200) Alcmena fuit uxor Amphitrionis quam Iupiter ardentius amavit, sed cum eam habere non posset, mutavit se in speciem mariti sui redeuntis a Studio et sic cum ea concubuit.

(201) Calisto fuit filia Licaonis quam Iupiter adamavit; unde, cum non posset cum ea concumbere, mutavit se in speciem Dyane, de cuius societate illa erat, et sic eam violavit in quadam silva.

(202) Io fuit filia Inachi regis fluviorum, quam Iupiter una die invenit redeuntem a flumine patris sui et, interposita quadam nube, violavit eam.

(203) Anthiope fuit filia Mithri regis quam Iupiter adamavit, sed, cum non posset eam habere, mutavit se in speciem cuiusdam satiri, quem ipsa multum timebat et supervenit eam in prato et eam violavit.

(204) Europa fuit filia Agenoris regis Athenarum quam Iupiter adamavit et, cum eam habere non posset,

[Column f6v.c]

//6vc//
mutavit se in quendam vitulum valde pulcrum et intravit

[Page 135]

pratum ubi illa colligebat flores; quem ista ascendit. Iste vero transfretavit se cum ea et eam violavit.

(205) Messione fuit quedam puella que custodiebat oves, quam Iupiter dilexit ardentius et, cum non posset eam habere,

mutavit se in pastorem et cum ea concubuit.

(206) Egina fuit filia Asopi philosophi quam Iupiter amavit, sed, cum non posset eam habere, fulminavit in campis in quibus ipsa erat; ista timore ignis incurvavit se et sic violavit.

(207) Dyonis fuit quedam puella quam Iupiter adamavit, sed eam habere non potuit donec se in speciem serpentis quem ista multum ?metuebat> mutavit et eam preveniens violavit.

(208) Leda fuit uxor Tindari, pulcherrima domina quam Iupiter multum dilexit et, cum eam habere non posset, mutavit se in speciem cigni et, dum ipsa se lavaret in flumine, violavit eam.

(209) Dampne fuit filia Acrisii regis quam Acrisius pro nimia elegantia clausit in quadam turri, timens eam ab homine violari. Iupiter diligebat eam ardentius, sed, cum non posset eam habere, mutavit se in aurum et pluit in turrem illam et sic violavit eam.

46.

(210) 'SED, CUM SIT' ET CETERA: hic ponit autor exemplum descriptionis in rebus inanimatis, scilicet in convivio, et duo facit, quia primo continuat dicta dicendis, secundo prosequitur, ibi: '«Excipiente thoro»'. Littera plana est.

(211) '«Excipiente»': hic prosequitur autor et describit convivium illud secundum illa que requiruntur ad nobilitatem convivii, quia primo, presuppositis nobilibus personis que debent esse in convivio, describit ipsum convivium quo ad delicias ciborum, potuum et utensilium (debent enim esse in convivio nobiles persone, preciosa utensilia

[Page 136]

et pulcra, cibi sapidi et delicati). Secundo quo ad clientes (debent enim esse ibi clientes nobiles, morigerati et ornat), tertio quo ad ystriones (nam ibi debent esse ystriones sales et lusores ydonei et facundi), quarto quo ad instrumenta et gestus illorum (nam ibi debent esse musicorum et instrumentorum iocunda et varia melodia). Secunda ibi:

«Precipue
mense»

; tertia ibi: '«Delicias alias»'; quarta ibi:

«Gestumque
videres»

.

(212) Dicit primo quod "thoro excipiente", id est tappeto ubi sedent homines super banchum, "reges", per hoc tangit nobiles personas, "mense delicias", id est †...†, "lactis ymago", id est mensale albissimum, "orditur", id est inchoat omnia que ponuntur – per hoc tangit preciosa vasa –; "cultu Ceres", id est panis albissimus, "et Bachus",

id est vinum, "senex", id est antiquum †...† multorum foliorum, "solus", id est in pura potentia, sine aque mixtura, "vel perfusus", id est mixtus, "nectareo <odore>", id est bona confectione specierum, "sinit degenerare", id est naturam suam dimittit et assumit alienam meliorem.

(213) '«Regia pompa»': per hoc tangit aliorum ciborum fecunditatem in preciosis vasis.

(214) '«Precipuum»': hic describit convivium quo ad clientes et duo facit, quia primo describit ipsum quo ad formam et quedam coniuncta ipsi forme, secundo quo ad habitus, ibi: '«Cetera si spectes»'.

(215) Dicit primo: "O tu speculari", id est specta, "clientes", scilicet "speculum precipuum mense".

(216) '«Certat cum Paride»': commendat eos a pulcritudine, sicut Paris fuit, quia pulcerrimus.

(217) '«Cum Parthonopeo»': commendat eos a iuventute

[Page 137]

valde, quia Parthonopeus fuit nobilis iuvenis filius regis Anglie

[Column f6v.d]

//6vd// et istius magistri discipulus.

(218) '«Cum Creso census»': commendat eos ab ornatu et a divitiis – sicut Romani maxime volunt domicellos ornatos et bene redimitos – quia Cresus fuit ditissimus.

(219) '«Cum Cesare sanguis»': commendat eos a nobilitate sanguinis, quia Cesar nobilissimus fuit.

(220) '«Cetera si»': describit convivium quo ad habitus.

(221) '«Delicias»': hic describit ioculatorum varia solacia vel describit convivium quo ad ystriones et instrumenta illorum et modos ioculandi et duo facit, quia primo proponit, secundo prosequitur, ibi: '«Tinula»'.

47.

(222) 'TINULA' ET CETERA: hic prosequitur autor et dividitur pars hec in tot partes quot sunt species ystrionum, instrumenta illorum et modos ioculandi, que omnia patent apertissime intuenti. Unde dicit "tinula sistra", id est illa instrumenta sonancia, "volant". Sistrum secundum Ugutionem est tuba, sed non videtur habere locum hic. Sed secundum quosdam sistrum est gladius et dicuntur sistra quinque gladii appensi ab uno ligno catenis, cum quibus fit quidam ludus proiciendo eos in altum, et hoc magis videtur convenire huic nostre sententie.

(223) '«Huic in utraque»': hic tangit aliam speciem ludi.

(224) '«Tertius ad»': hic tangit ludum tornandi. Patet.

(225) '«Singula»': hic tangit ludum corizandi et cantandi, que omnia plana sunt.

(226) '«Gestumque videres»': hic tangit instrumenta ponendo suas diversitates et duo facit, quia primo facit quod dictum est, secundo epilogat, ibi: '«et breve propositum»'. Littera patet.

(227) 'RESTAT ADHUC' ET CETERA: hic determinat autor de octavo modo ampliandi materiam et est iste modus: manifestare

[Page 138]

eandem <rem> per duas diversas formas oppositas, unde potest dici 'assumptio oppositorum'. Nam solet dici quod locus ab oppositis est quandocumque unum oppositorum inest alicui subiecto ab eo alterum removet. Ut «Si est sanus»: sequitur sine positione «ergo non est eger». Sed hic ambo ponuntur et duo facit, quia primo docet sumere talia duo contraria ad invicem in ipsis rebus, secundo in ipsis que consequuntur ad ipsam rem, ibi: '«Vel sumens»'. Prima in duas, quia primo facit quod dictum est, secundo dat exempla, ibi: '«Hoc sit»'.

(228) Dicit primo quod "adhuc restat aliquid quod reddat linguam opimam", scilicet quando "quelibet sententia induitur duplicem formam". Cetera plana sunt. Et nota quod iste modus differt ab interpretatione, quia interpretatio dicit idem per diversa verba – importantia idem –, sed modus iste habet verba importantia diversa valde.

(229) '«Hoc sit in exemplum»': hic exemplificat autor sic. Ista est res proposita sic dicendo: «Iste est senex», et est posita una pars. Et si volumus ampliare materiam possumus ponere aliam partem oppositam, ut dicendo «et non est iuvenis». Et nota quod hic est denominatio, quia forma ponitur pro re subiecta in hoc, quod ponitur 'iuventa' pro 'iuvene'.

(230) '«Vel sumes»': hic docet autor sumere talia duo contraria ad invicem in ipsis que sunt adiuncta ipsis rebus. Itaque possumus prolongare materiam non ponendo rem, sed quedam consequentia ad ipsam rem, sicut in exemplo autoris non ponitur 'senectus', que est res subiecta in materia de qua loquitur,

[Column f7r.a]

//7ra// sed ponuntur consequentia ad ipsam senectutem, sicut est rugositas faciei et rigiditas pellis. Et duo facit, quia primo facit hoc, secundo ponit hoc esse

[Page 139]

possibile sic ampliare per simile, ibi: '«Sic surgit»'. Littera plana est.

(231) '«Sic surgit»': hic ponit quod est possibile sumere talia contraria ad invicem. Unde dicit '«Sic surgit»', quasi dicat: «Sic surgit longum dictamen de parva materia, quia magna flumina trahunt» et cetera.

49.

(232) 'SI BREVIS »'ET CETERA: positus octo modis ampliandi materiam, ponuntur modi restringendi eandem, scilicet emphasis, articulus, ablativus positus absolute, intellectus unius in altero, copula dempta, sensus multarum clausularum in una et nulla repetitio eiusdem verbi. Et de omnibus istis modis ponuntur exempla.

(233) Emphasis est '«expressa locutrix»' seu locutio rei, ut '«Davus est ipsum scelus»': per hoc intelligitur quod est malis omnibus plenus et non dicam «est sceleratus».

(234) Articulus est cesura punctim, ut si dicam «Fides, spes, caritas, provehit nos ad virtutes vel ad vitam» et non dicam «Fides provehit, spes provehit» et cetera.

(235) Ablativus positus absolute: «Secundum opinionem antiquorum, ut lecto de Virgilio, legatur de Lucano» et non dicimus «Postquam legimus».

(236) Quartus non repetitio eiusdem, sive sit dictionis sive orationis, sive sit in principio sive in medio sive in fine, sive mediate sive immediate. Et propter hoc removet repetitionem, conversionem et complexionem, que sunt tres colores rethorici de quibus habebimus. Verbi gratia, ut si dicatur: «Atheon ibat venatum et, dum venaretur, sitim contraxit. Et dum foret siti coactus fontem petiit. Et petendo fontem irrupit super Dyanam».

(237) Quintus est ingeniosa intelligentia unius in altero, ut si dicam «Petrus obtinuit quod a domino apostolico

[Page 140]

impetravit» et non dicam «Petrus obtinuit litteras quas» et cetera.

(238) Sextus est remotio, ut si dicam: «David, missus ad fratres, interfecto Golia, dominum liberavit».

(239) Septimus est dissolutio clausularum. Et duo facit, quia primo ponit ista septem, secundo ponit unum alium modum quem multum commendat, ibi: '«Si proprio vellet»'. Prima in duas, quia primo ponit contractionis modos, secundo illos exemplificat, ibi: '«Ecce rei»'. Prima in duas, quia primo enumerat ea que faciunt ad brevitatem vel enucleat, secundo commendat et manifestat usum per quandam similitudinem ad quem ea utimur, ibi: '«Hac brevitate»'. Littera patet.

(240) '«Hac brevitate»': hic commendat istos modos abbreviandi et manifestat illorum usum per quandam similitudinem, ad quos ea utimur. Et duo facit, quia primo facit hoc, secundo ponit quoddam incidens, ibi: '«Narratio»'.

(241) Dicit primo quod sicut parva navi transitur mare, ita ista doctrina possumus transire longum dictamen.

(242) '«Narratio»': hic ponit quoddam incidens et duo facit, quia primo declarat illud, secundo breviter recolligit modos supradictos, ibi: '«Concurrent»'.

(243) Dicit ergo: «Licet ego dicam quod debet esse brevis, sententia tamen non sit obscura». Unde Oratius:

«decipimur
specie recti»

(244) '«Concurrent ergo»': hic recolligit

[Column f7r.b]

//7rb// modos supradictos
et patent omnia, tam partes quam sententia.

(245) '«Omnia»': omnes isti modi concurrent ad abbreviationem et, si non omnes, tamen ille quem materia requirit.

(246) '«Ecce rei speculum»': hic exemplificat de istis modis abbreviandi et duo facit, quia primo proponit, secundo exemplificat, ibi: '«Rebus in augendis»'.

[Page 141]

(247) Dicit primo quod in remotissimis partibus, viro negotiatore moram faciente, mulier sua, invento auxilio luxurie sue, lusit cum quodam et concepit et peperit. Maritus autem, rediens et dissimulans, post longi temporis intervallum, invita matre, filium adduxit secum et eum vendidit et matri respondit quod sicut a nive fuerat conceptus, ita a calore liquefactus est.

50.

(248) 'REBUS IN AUGENDIS' ET CETERA: hec est secunda pars in qua exemplificat de omnibus istis modis abbreviandi, in qua secunda parte ponit modos istos omnes. Nam cum dicit '«Rebus in augendis»' tangit remotionem punctim, cum sit participium. Ubi dicit '«longe distante marito»' tangit ablativum positum absolute. Ubi dicit '«Post multa reverso»' tangit causam intelligentie, quia intelligenter maritus. Ubi dicit '«Fraus mutua»' est emphasis, quia abstractum ponitur pro concreto. '«Substinet. Asportat»' et cetera: ibi plura verba ponuntur sine copula. '«Matrique reportans»': per illam coniunctionem, 'que', est una et plures clause: tangitur alius modus, scilicet multarum clausularum. In toto exemplo tangitur alius, scilicet quod non debet repeti idem bis. '«Matrique reportans»': ibi intelliguntur plures clause in una, quia primo intelligitur ista, scilicet quod duxit secum puerum, et postea reversus est domum.

51.

(249) 'SI PROPRIORE'. ET CETERA: supra posuit autor septem modos abbreviandi materiam, hic ponit quendam alium modum quem plurimum commendat. Et sic procedit, quia primo dat modum et documentum suum, secundo declarat per exemplum, ibi: '«Huius ad exemplum»'. Prima in duas, quia primo pertractat artem sui documenti, secundo commendat, ibi: '«Sic breve»'.

(250) Dicit primo quod nos debemus totam rem comprimere in mente, quia sunt quedam nomina vel verba que totam

[Page 142]

rem comprimunt et declarant et illis solis est exprimenda res, adiutorio rationis. Sicut exprimitur vel copulatur alia materia diversa, ferri mediantibus follibus, ut in fornace. "Non meminisse velis verbi", id est operationis: verbum enim pertinet ad praxim, id est ad operationem, unde non debes statim incipere operari, sed debes notare "nomina rerum", id est res de quibus agitur in themate, ut in proposito themate agitur de uxore mecha, marito et filio, et ideo ista debes prius in mente concipere et disponere convenienter, tangendo solum summam facti.

(251) '«Sic breve»': hic commendat artem sui documenti.

(252) '«Huius ad exemplum»': hic declarat autor documentum suum per exemplum.

52.

(253) 'DE NIVE CONCEPTUM ' ET CETERA: hic iterum dat exemplum abbreviandi materiam, nam 'vir', 'uxor' et 'puer' et 'parit' et 'fingit' totam rem comprehendunt, quod totum planum est.

53.

(254) 'SI BREVIS 'ET CETERA: postquam autor determinavit de inventione et de dispositione, hic determinat de elocutione. Est autem elocutio, secundum Tullium,

«ydoneorum
[Column f7v.c]
//7vc// verborum et sententiarum ad inventionem accommodatio»

.
Et circa hoc ita procedit, quia primo determinat de ornatu, secundo de facultate inveniendi ipsum ornatum, ibi: '«Quid deceat»'. Prima in duas, quia primo proponit intentionem suam, secundo eam exequitur, ibi:

«Ut
res»

. Prima in tres, quia primo dat intentionem suam

ostendendo quod quelibet materia debet esse ornata – seu longa seu brevis –, secundo dat ordinem in ornando, tertio probat. Secunda ibi: '«sed discernendo»'; tertia ibi: '«Se nisi conformet»'.

[Page 143]

(255) '«Sed discernendo»': hic dat ordinem in ornando materiam, dicens quod discernendo colorem debes habere ordinem, quia prius debemus ornare mentem, id est significatum et sententiam, quam ipsam vocem, eo quod vox est propter sententiam et non e contra.

(256) '«Se nisi conformet»': hic probat quod dixit et duo facit, quia primo probat, secundo repetit documenta melius clara, ibi: '«In re proposita»'. Prima in duas, quia primo facit quod dictum est, secundo reddit hominem attentum, ibi: '«sed in his que»'.

(257) Dicit primo quod si sententia bene correspondeat verbis, id est si dictamen tuum est ornatum verbis, sit etiam sententiosum quia aliter essent nuge canore.

(258) '«Sed in his que dixeris»' et cetera: hic reddit hominem attentum dicens quod dictator debet esse velut Argus qui centum oculos habebat et fuit vicarius lunonis, quem Mercurius, filius Iovis et deus eloquentie, interfecit; et caput fuit conversum in pavonem. Unde methaphorice loquitur.

(259) '«In re proposita»': hic repetit documentum suum melius clarum, dicens quod sicut materia se habet, sic debet ornari, et verbum ornatum debet respondere in equali gradu sententie ornatate.

(260) '«Si sit honesta»': id est «Si sententia quam vis tractare et dictare est pulcra, orna eam pulcris verbis».

(261) '«Ne rubeat matrona»': quasi dicat quod "matrona potens", id est sententia magna et alta de magnis rebus, "ne rubeat", id est non recipiat detrimentum, "in paupere panno", id est in vili verbo vel inornato.

(262) 'UT RES ERGO ' ET CETERA: nunc sequitur illa pars in qua prosequitur. Et duo facit, quia primo procedit de quibusdam

[Page 144]

coloribus sive modis ornandi materiam qui sunt graves et difficiles et a Tullio appellantur rudentes, secundo prosequitur de levibus qui sunt magis formales ad ornandum, ibi: '«Si sermo velit»'. Prima in duas, quia primo facit quod dictum est, secundo dat quandam doctrinam que competit omnibus materiebus et incidenter introducit, ibi: '«Si niti gravitate»'. Prima iterum in duas, quia inter hos decem colores quattuor sunt graviores aliis et sex leviores, ideo primo determinat de gravibus, secundo de levibus, ibi: '«Texuit ars»'; iterum quia methaphora est genus ad omnia hec generaliter considerata, sed in se potest ab aliis diversificari, ideo de prima primo determinat per se, secundo cum aliis specialibus, ibi: '«Vult ita»'. Prima in duas, quia primo dat intentionem suam regulariter, secundo per exemplum, ibi: '«Instruit iste»'.

(263) In prima parte dicit quod ad hoc, "ut res sumat preciosum amictum", id est ut sententia quelibet sit bene ordinata, "'si vetus est verbum" ', quasi perseverans in sua propria significatione, "sis fisicus", id est innovator, et "veteranum redde novum", id est ponas methaphorice. Totum aliud patet.

(264) '«Antidotum»': id est medelam et

[Column f7v.d]

//7vd// remedium
et dicitur ab 'anti', quod est 'contra', et 'todos', 'datum';
inde 'antidotum' quasi 'contra datum' quia contra infirmitatem.

55.

(265) 'INSTRUIT ' ET CETERA: postquam autor docuit generaliter de transumptione verbi elocutionis, modo docet specialiter. Et duo facit, quia primo dat intentionem suam de ipsa methaphora sive de ipsis modis methaphoricis, secundo ponit exempla, ibi: '«Ecce vides»'.

(266) '«Ecce vides»': hic exemplificat autor et duo facit,

[Page 145]

quia primo preparat materiam sive terminos in quibus vult ostendere, secundo ostendit, ibi: '«Dic igitur: Dentes»'.

(267) '«Dic igitur»': hic exemplificat de intento et duo facit, quia primo determinat de methaphora in se et absolute, secundum quod habet fieri absolute in singulis dictionibus, secundo prout habet fieri in dictionibus cum certis terminationibus adiectivis, ibi: '«Ut magis»'. Prima in duas, quia primo determinat de modis ipsius methaphore, secundo commendat predictos modos, ibi: '«Egregie sic»'. Prima iterum in duas, quia primo dat exempla methaphore de non homine ad hominem – de non animali ad animal –, secundo de homine ad non hominem – sive de animali ad non animal –, ibi: '«Si de quo loqueris»'. Circa primum sciendum quod licet sint duo alii modi, scilicet de animali ad animal et de non animali ad non animal, hic tamen non ponit nisi de istis duobus primis, quia alii non faciunt colores vel ornatum.

(268) Dicit primo quod non animal bene copulatur animali, ut puta niveus vel simile, bene copulatur denti, quod est pars hominis vel animalis.

(269) '«Aptantur»': hic probat quod ista sit propria adaptatio et bona.

56.

(270) 'SI DE QUO LOQUERIS' ET CETERA: postquam autor dedit supra exemplum methaphore de non homine ad hominem sive de non animali ad animal, hic dat exempla de homine ad non hominem sive de animali ad non animal. Et sunt exempla secundi modi, scilicet de animali ad non animal. Et duo facit, quia primo dat intentionem suam, secundo exemplificat, ibi: '«Ut, si forte»'.

(271) Dicit primo quod si sermo "sit non homo, retorque lora", id est habenas, quasi dicat «Dispone te debite

[Page 146]

ad illud ornandum»; 'non homo' appellatur hic omne quod non habet animam vel non est pars anime vel animati.

(272) '«Ut, si forte»': hic vult autor dare exempla et quattuor facit, sicut quattuor sunt exempla. Secunda ibi: '«Talia»'; tertia ibi: '«Vel, si»'; quarta ibi: '«Vel si fabriles»'. Prima in duas, quia primo preparat materiam dicendorum, secundo adaptat, ibi: '«Ergo sapit»'. Prima iterum in duas, quia primo ponit thema, secundo ponit proprietates hominis convenientes talibus thematibus, ibi: '«Ornatum»'.

(273) Dicit primo quod nos debemus venari nostras proprietates et videre si competunt aliquo modo cum ipsis inanimatis. Et totum patet.

(274) '«Ornatum»': postquam supra posuit themata, hic ponit proprietates hominis convenientes talibus thematibus. Littera patet.

(275) '«Ergo sapit»': hic dat exemplum et duo facit, quia primo exemplificat, secundo comparat unum modum alteri, scilicet primum secundo. Secunda ibi: '«Quando tuum»'.

57.

(276) 'QUANDO TUUM' ET CETERA: hic comparat unum modum alteri, scilicet primum secundo, et patet totum. Dicit quod pulcrior est transmutatio ab homine ad non hominem quam e contrario quia in alieno subiecto <possumus> videre suas proprietates et ideo dicit '«in alieno rure»'.

(277) '«Talia»': hic dat secundum exemplum, scilicet qualiter nequicias hominis attribuamus

[Column f8r.a]

//8ra// hyemi, quia neque 'nequicia' neque 'tirannus' est hiemis nisi per quamdam similitudinem.

(278) '«Vel, si dicamus»': hic ponit tertium exemplum, scilicet qualiter attribuamus proprietates nostras vel hominis – ut obiurgare, quod est contemnere – rei inanimate, scilicet tempori vel ventis.

58.

(279) 'VEL SI FABRILES ' ET CETERA: hic ponit quartum exemplum,

[Page 147]

scilicet qualiter attribuamus quasdam proprietates hominis rebus fabrilibus. Et patet.

(280) '«Folles»': id est mantici.

(281) '«Vigilant»': vigilare est proprium rei animate et attribuit flamme.

(282) '«Sepelitur»': sepelire est propria passio hominis et attribuitur ferro.

(283) '«Transmittit»': transmittere est proprie actus rei animate.

(284) '«Magister»': continet dignitatem que est propria hominis et attribuitur malleo.

(285) Similitudo: sicut massa ferri dicitur rudis, sic homo indoctus. Similitudo mallei: sicut ille qui instruit, ita malleus a simili reducit ad suam formam.

(286) '«Consilium»': similitudo est quia sicut bonum consilium defendit hominem ab errore, ita cassis defendit caput hominis a periculo. Et sicut homo incitat aliquam personam ad aliquid faciendum, sic calcar vel stimulus incitat equum.

59.

(287) 'EGREGIE' ET CETERA: hic commendat autor istas methaphoras et tria facit, quia primo facit hoc, secundo innuit difficultatem in eis, tertio artificiositatem. Secunda ibi: '«Sed verba lo(care)»', tertia ibi: '«Ne sit leve»'.

(288) '«Sed verba»': hic innuit difficultatem in istis methaphoris.

(289) '«Gravis est»' et cetera: id est grave est invenire, sed leve est inventa locare et in memoria retinere.

(290) '«Ne sit»': hic innuit autor artificiositatem in istis methaphoris.

60.

(291) 'UT MAGIS ' ET CETERA: superius determinavit auctor de methaphora sive transumptione in se et absolute, secundum quod habet fieri in singulis dictionibus absolute. Hic

[Page 148]

docet autor de transumptione respectiva sive de modo clarificandi obscuram transumptionem vel methaphoras obscuras generaliter, per determinationes primo. Secundo descendit ad speciales terminationes dictionum methaphoricandarum et cum hoc inserit quosdam modos speciales methaphore, ibi: '«Vult ita transumi»'. Prima in duas, quia primo ponit modum dilucidandi quasi ex propriis terminationibus, secundo a repugnantibus, ibi: '«Vincit adhuc»'. Prima iterum in duas, quia primo proponit modum dilucidandi, secundo exequitur, ibi: '«Ecce sub hac»'.

(292) Dicit primo quod duo sunt modi dilucidandi methaphoram, scilicet quando subiectum est obscurum. Mobile, id est adiectivum, detur ei propter duo: primo scilicet quod si fuerit obscurum mobile illud ipsum declaret, secundo quod si fuerit clarum adhuc id ipsum mobile melius declaret. Et istud secundum manifestat ubi dicit

«sed non
illud mi»

. Quod totum planum est.

(293) '«Ecce sub hac forma»': hic exequitur autor de modis methaphorizandi et duo facit, quia primo premitit exemplum non bene clarum, secundo dat modum declarandi, ibi: '«Dic igitur melius»'.

(294) Dicit primo quod si ego exprimo quid tale:

«lura
mollescunt»

et cetera,

[Column f8r.b]

//8rb// illud tale dicere non est bene clarum.

(295) '«Dic igitur»': hic manifestat istos modos et duo facit, quia primo dat modum dilucidandi obscurum, secundo dat modum dilucidandi magis etiam clarum, ibi: '«Sed quid si»'.

(296) Dicit primo

«Tu, melius quantum ex parte tua, videlicet
istius adiectivi dic dispensatoria»

, quasi dicat

«Multum
distat a primo modo»

. Et est sententia talis quod quando
bonus prelatus dispensat cum subdito suo, iura tunc
mollescunt, sed quando non vult, tunc rigent.

(297) '«Ecce satis»': hic solvit questionem et dicit quod licet
bene dicatur '«Terra plus potavit»', tamen melius dicitur
'«Ebria tellus Plus»' et cetera.

61.

[Page 149]

(298) 'VINCIT ADHUC' ET CETERA: supra posuit autor qualiter
dilucidetur transumptio quasi ex propriis determinationibus.
Nunc docet qualiter transumptio dilucidetur ex contrariis
vel repugnantibus vocabulis et duo facit, quia primo
docet qualiter dictiones repugnantes se ad invicem determinent,
secundo docet qualiter una dictio possit poni proprie in
eadem methaphora respectu unius et methaphorice respectu
alterius, ibi: '«Est aliud lumen»'. Prima in duas, quia primo facit
quod dictum est, secundo probat hoc per simile repertum
in aliis, ut in amantibus, ibi: '«Consule res»'.

(299) Dicit primo quod iste modus est pulcerrimus methaphorizandi,
quando dictiones videntur repugnare in signis
et in sententia optime conveniunt, ut 'dapsilis' est curialis
et etiam 'fundit' convenit cum eo, sed 'recondit' valde
contrariatur. Sed, si ponantur ad invicem, optime conveniunt:
nam aliquis curialis, fundendo opes, bonum nomen
adquirat et claram famam et de hoc ponit pulcra exempla
satis manifesta.

(300) '«Dapsilis»': quando quis dat sua, scilicet denarios
vel aliquid aliud, videtur consumere, tamen congregat dando,
licet contrarium videatur. Unde: '«date et dabitur vobis»'.

(301) '«Numquam»': 'fessitas' et 'quies' videntur contrariari,
tamen non contrariantur quia dum aliquis est potens
vel recens non vult quiescere, sed quando fatigatus est
quiescit et ita fessitas stat cum quiete.

(302) '«Ante Dei»': 'clamor' et 'silentium' videntur contraria,
tamen non sunt, quia qui Deum precatur cum silentio,
vox eius auditur.

(303) '«Consule res»': hic probat hoc esse possibile per
amantes qui se videntur odire extra et in cordibus se diligunt
nimium. Unde Terentius:

«Lix amantium amoris
reintegratio est»

.
[Page 150]

(304) '«Se voces»': quia voces sunt discordes, significationes
autem concordantes.

62.

(305) 'EST ALIUD' ET CETERA: hic ostendit quod una dictio ponitur in eadem methaphora proprie et improprie, ut hoc verbum, 'armavit', proprie ponitur respectu corporis et ferri, sed methaphorice respectu lingue et legum. Littera patet.

(306) '«Vetus illa»': hic ostendit quod dictio in uno et eodem loco posita ponitur proprie et improprie, ut cum dico '«Legibus armavit linguas et corpora ferro»', ecce hoc verbum, 'armavit', ponitur improprie quo ad leges, proprie quo ad ferrum. Adhuc subiungit aliud exemplum clarius cum dicit '«Armat eos»' et cetera.

63.

(307) 'VULT ITA' ET CETERA: supra docuit autor de transumptione respectiva sive de modo clarificandi obscuram transumptionem vel methaphoras obscuras

[Column f8v.c]

//8vc// per determinationem, generaliter. Hic autem descendit ad speciales methaphoras dictionum specialium, ut puta nominis et verbi, et simul et per se. Et duo facit, quia primo proponit methaphorizanda, secundo prosequitur, ibi: '«Sed fit varie»'.

(308) Dicit primo quod verbum et mobile – id est adiectivum – et substantivum, vult ita transumi ut dicetur.

(309) '«Sed fit varie»': hic prosequitur et duo facit, quia primo prosequitur de illis dictionibus in quibus est sola methaphora in se, non describendo aliquam aliam suam speciem, secundo prosequitur de illis in quibus descenditur ad suas species, ibi: '«Sequitur transumptio fixi»'. Prima in duas, quia primo prosequitur de verbo, secundo de mobili, id est de adiectivo, ibi: '«Mobile transfertur»'. Prima in tres, secundum quod verbum transfertur tripliciter: vel ratione

[Page 151]

subiecti vel ratione termini vel ratione utriusque. Secunda ibi: '«Ratione sequentis»'; tertia ibi: '«Ratione duorum»'.

(310) Dicit primo quod verbum transfertur ratione suppositi, ut puta "nubes pausant", quia pausare est hominum et non nubium. Item respectu termini, cum dicitur "solvit linguam", quia solvere non pertinet ad linguam. Etiam ratione utriusque, cum dicitur "os pape propinat", quia propinare est hominis et non oris. Et sic in aliis exemplis. Et totum est planum.

64.

(311) 'MOBILE' ET CETERA: hic docet autor specialiter de transformatione nominis adiectivi. Et duo facit, quia primo ponit quod tribus modis transfertur, secundo illam triplicitatem declarat, ibi: '«Vel ratione sui fixi»'. Ista secunda dividitur in tres, quia primo ostendit quomodo transumitur a parte subiecti, secundo a parte terminationis, tertio ex parte utriusque. Secunda ibi: '«Vel ratione rei sub(iunctae)»'; tertia ibi: '«Aut utriusque»'. Quod totum planum est.

(312) '«Crudus»': ponitur transumptive quia <non> pertinet ad sermonem proprie, sed ad cibum. Et sic de aliis exemplis.

(313) '«Sequitur transumptio»': supra determinavit autor de illis in quibus est sola methaphora per se, non descendendo ad aliquam suam speciem. Nunc, ostendendo qualiter transumatur fixum, descendit ad speciales transumptiones que sunt nominatio, pronomination, permutatio et translatio specialis. Et duo facit, quia primo facit hoc, secundo epilogat, ibi: '«Transfero, Permuto»'. Prima in duas, quia primo determinat de ipsis speciebus methaphore, secundo commendat eas, ibi: '«Iste sunt species»'. Prima in quattuor, sicut quattuor sunt species. Secunda ibi:

«Si
proprium»

; tertia ibi: '«aut color»'; quarta ibi:

«Interdum
plures»

.

[Page 152]

(314) Dicit primo quod nominatio est quando nomen commune vel appellativum methaphorizatur, ut

«Fragor
populi impulit urbem»

– nam fragor non est hominum
sed arborum – et similia huic. Est autem nominatio que nos admonet ut, cui rei nomen <non> sit aut satis ydoneum non sit, eam nosmet ydoneo verbo nominemus aut significationis aut mutationis causa.

(315) '«Si proprium fuerit»': hic ponit auctor pronominationem. Est autem pronomination quando proprium nomen ponitur methaphorice; nam Symon quidam maximus proditor fuit sicut Iudas, unde de aliquo magno proditore dicere possumus «Videtis qualiter

[Column f8v.d]

//8vd// iste Iudas
nos prodidit», sicut patet in littera. Nota quod pronomination est que suo cognomine quodam extraneo demonstrat quod suo nomine non potest appellari.

(316) '«Aut color»' et cetera: hic determinat autor de permutatione. Est autem permutatio quando proprium permutamus in appellativum. Et est duplex permutatio: quedam est que fit per similitudinem veram et quedam est que fit per similitudinem falsam. Secunda ibi:

«Vel rursus
transfero»

(317) Prima est cum dicit '«Tiphis noster regit navem»', id est magister qui scit regere, quia Tiphis fuit inventor navis Iasonis que dicebatur Argon. Unde Ovidius:

«Tiphis in
Emonia puppe magister erat»

(318) '«Vel rursus»': hic determinat autor de permutatione que fit per falsam similitudinem et per antiphrasim. Dicitur autem antiphrasis ab 'anti', quod est 'contra', et 'phrasis', quod est 'locutio', id est 'contraria locutio'. Unde, quando dicitur de aliquo 'turpi', iste est Paris, qui fuit pulcerrimus, et sic de aliis que sunt in littera. Et nota quod permutatio

[Page 153]

est oratio aliud verbis aliud sententia demonstrans. Paris fuit filius Priami et Hecube Troianorum, qui rapuit Helenam; Eneas fuit similiter Troianus, valde pius, qui multa corpora sanctorum ab igne Troiano liberavit sua pietate. Pirrhus fuit filius Achillis, animosus valde. Cicero fuit Tullius, optimus orator. Ypolitus fuit filius Thesei castissimus, qui cum noverca sua Phedra iacere noluit.

(319) '«Interdum»': hic determinat de transumptione speciali. Est autem specialis transumptio quando plures dictiones methaphorizantur in una oratione vel quando tota oratio methaphorizatur. Et ideo primo ponit primum, secundo secundum, ibi: '«Transfertur»'.

(320) '«Transfertur adhuc»': hic docet quomodo translatio specialis habet fieri in tota una oratione, ut cum dicitur '«Littus aratur»' et in similibus que sunt in littera. Nam nulla dictio per se, sed omnes simul, ponuntur methaphorice, id est «Servicium in aliquo ingrato perditur», vel «Labore nichil concluditur aliquando».

(321) '«Iste sunt species»': hic commendat autor talem doctrinam et tria facit, quia primo commendat, secundo dat modum procedendi, tertio tangit ad quid valeat. Secunda ibi: '«Tamen esto»'; tertia ibi: '«Quando venit»'.

(322) Dicit ergo:

«Cave repectes per turgidum et inflatum,
faciendo nimis altas methaphoras»

(323) '«Tamen esto»': hic dat modum procedendi et patet.

(324) '«Quando venit»': hic ostendit autor ad quid valeat talis doctrina.

(325) '«Transfero»': hic epilogat istas quattuor species et dicit quod transferre quantum ad translationem in speciali et nominare et pronominare et permutare, reponuntur sub methaphora generali. Que omnia possunt habere verbalia,

[Page 154]

ut translatio, nominatio, pronominatio et permutatio, quas multum commendat.

65.

(326) 'TEXUIT ARS' ET CETERA: supra determinavit autor de quattuor coloribus sive modis ornandi materiam quibus methaphora est genus, qui colores sunt graves et difficiles et

[Column f9r.a]

//9ra// a Tullio appellantur rudentes. Hic tamquam continuans se determinat de sex aliis modis methaphoricis qui sunt leves, quibus methaphora vel transumptio est genus sicut aliis quattuor supradictis. Et duo facit, quia primo comparat superius dictos modos ad istos sex, secundo exequitur, ibi: '«Prodeat in medio»'.

66.

(327) 'PRODEAT IN MEDIO' ET CETERA: hic exequitur autor de illis sex modis sequentibus et facit sex, sicut sex sunt modi. Primus est circuitio, secundus denominatio, tertius superlatio, quartus intellectio, quintus abusio, sextus transgressio. Secunda ibi: '«Qui dat formido?»'; tertia ibi:

«Curat
yperbolicus»

; quarta ibi: '«Dicturus: Studui»'; quinta ibi: '«Est etiam verbi»'; sexta ibi: '«Furens item»'. Prima in duas, quia primo premitit materiam in qua habet fieri talis methaphora, scilicet circuitio, secundo dat exemplum circuitionis, ibi: '«Langor eget»'.

(328) Dicit primo quod circuitio est oratio rem simplicem assumptam circumscribens elocutione. Sed nota quod duplex est circuitio, scilicet una, de qua supra dictum est, que est multiplicatio dictionum importantium eandem rem, ut: «Divine pietatis clementia», id est «Deus clemens». Altera est quando unus intellectus dictionis pro alio ponitur, ut 'languor' pro 'languente', nam langor non eget medico sed languens.

(329) '«Langor»': hic dat exemplum circuitionis.

67.

(330) 'QUI DAT FORMIDO?' ET CETERA: hic determinat autor de secundo colore qui dicitur denominatio, cui respondet

[Page 155]

figura que dicitur methonomia. Et habet fieri quattuor modis: primo quando causa ponitur pro causato, secundo quando instrumentum ponitur pro instrumentato, scilicet pro eo qui utitur eo, tertio quando materia ponitur pro materiato, quarto quando continens ponitur pro contento. Secunda ibi: '«Preloti capitis»'; tertia ibi: '«Lucet item»'; quarta ibi: '«Ratione vice con(tenti)»'. Circa primum sciendum quod denominatio non sumitur hic stricto modo, sed largo, scilicet pro omni eo quod potest dare intelligere aliud. Nam denominantia, debito modo sumpta, sumuntur in concreto et debent servire in principio dictionum et differre in fine, ut 'iustus' a 'iusticia'.

68.

(331) 'PRELOTI CAPITIS' ET CETERA: hic ostendit quomodo per denominationem instrumentum ponitur pro instrumentatore vel utente eo quando dicitur "Officium pectinis discriminet crines preloti capitis". Et ideo est color methaphoricus quia pecten non proprie discriminat, sed utens eo. Littera patet.

69.

(332) 'LUCET ITEM' ET CETERA: hic ponit autor tercium modum denominationis, scilicet quando materia ponitur pro materiato, ut "Spoliavimus loculos argento", nam non spoliavimus argento, sed aliquo facto ex argento, et "digitos auro", id est aureo anulo. Et circa hoc duo facit, quia primo facit hoc istum modum observando, secundo eum commendat, ibi: '«Hic modus»'. Prima in duas, quia primo facit quod dictum est, secundo removet dubium, ibi: '«Non quia zeuma»'.

(333) '«Corpora ferro»': id est armis factis ex ferro.

(334) '«Argento loculos»': id est denariis factis ex argento.

(335) '«Digitos»': id est bursas.

(336) '«Non quia zeuma»': hic removet dubium dicens

[Page 156]

quod non est pulcer iste modus quia sit ibi modus zeumaticus. Nam est ibi zeuma a medio in quantum verbum illud, 'spoliavimus', redditur pluribus clausulis

[Column f9r.b]

//9rb// ante
et post.

(337) '«Hic modus»': hic commendat auctor istum modum et duo facit, quia primo facit hoc, secundo probat exemplo, ibi: '«Quod liquet»'.

(338) Dicit primo quod affert tria comoda secum, quia utitur brevitate et colorat verba per methaphoram et potest poni in versu melius quam alio modo.

(339) '«Dispendia vocum»': id est prolixitates dictionum.

(340) '«Et metro promit(tit) opem»': id est melius stat in versu 'aurum' quam 'anulus aureus'.

(341) '«Quod liquet»': hic probat hoc autor per exemplum, scilicet commendationem istius modi, dicens "Digitus lascivit in auro", id est in anulo auri, "nam hec dictio, aurum, est brevior vox, sed anulus auri est productior" et cetera.

70.

(342) 'REM VICE' ET CETERA: hic ponit autor quartum modum denominationis, scilicet quomodo continens ponitur pro contento. Et duo facit, quia primo ponit hoc, secundo prosequitur, ibi: '«Insere sic»'.

(343) Dicit primo quod tunc denominationem facimus cum ponimus rem contentam pro continente et tunc tria methaphoriçantur, scilicet verbum, adiectivum et fixum.

(344) '«Insere»': hic prosequitur et tria facit, sicut tria sunt methaphoriçanda. Secunda ibi: '«Mobile nomen»'; tertia ibi: '«In morbis»'.

(345) Dicit primo quod ista substantiva ponuntur methaphorice, scilicet '«Potatrix Anglia»' et similia; et talis continens denominat contentum.

(346) '«Mobile nomen»': hic ponit secundum methaphoriçandum,

[Page 157]

dicens quod ista adiectiva, scilicet

«Fora clamosa;
Silentia claustra»

et similia, methaphorizantur et denominant contenta.

(347) '«In morbis»': hic ponit tertium methaphoriçandum et patet.

71.

(348) 'CURRAT YPERBOLICUS' ET CETERA: hic determinat autor de tertio colore qui appellatur superlatio et diffinitur sic: superlatio est oratio superans veritatem alicuius rei augendo vel diminuendo eam. Huic correspondet figura que vocatur yperbole. Et duo facit, quia primo dat naturam et modum accipiendi eam, secundo exemplificat eam, ibi: '«Scilicet hac»'.

(349) "Yperbolicus sermo currat", id est ordinetur, "sed non excur(rat) inepte", id est modum non excedat, quia dicit Oratius: '«Quodcumque michi ostendis sit»' et cetera.

(350) '«Scilicet hac»': hic dat exempla et duo facit, quia primo dat exempla que plana sunt, secundo laudat talem modum, ibi: '«Mirifice»'. Primum patet.

(351) '«Mirifice»': hic commendat autor istum modum sumendi istum colorem et dicit quod iste modus valet ad laudes et vituperium manifestandum, si debito modo sumatur.

72.

(352) 'DICTURUS: STUDUI' ET CETERA: hic determinat autor de quarto colore qui dicitur intellectio, cui respondet figura que dicitur sinodoce. Et diffinitur sic: intellectio est cum res tota parva de parte cognoscitur aut de toto pars, et per hoc sinodoche a Donato dicitur; et duo facit, quia primo proponens thema valde rude hortatur nos ad colorationem istius thematis, secundo ponit exempla, ibi:

«In studio
me»

(353) '«Iste modus est ru(dis)»': scilicet dicere

«Studui tribus
annis»

[Page 158]

(354) '«Pars anni»': hic ponit quando totum dat intelligere partem et duo facit, quia primo facit hoc, secundo ostendit quod sicut fit in una parte, similiter potest fieri etiam in alia, ibi: '«Forma rationis»'.

(355) '«Areat»': scilicet pars anni.

(356) '«Aret»': scilicet annus.

(357) '«Forma rationis»': hic ostendit quod sicut fit in una parte, sic etiam potest fieri in alia, quod ipse declarat exemplis

[Column f9v.c]

//9vc// verbi gratia. Geon quidam fluvijs est turbidus vel clarus vel lutulentus, quia, forte, secundum se totum non est turbidus et cetera, sed secundum aliquam partem. Sic etiam dicit Donatus *Barbarismi*:

«Ignem fontemque
ferebant»

, non quia ferrent totum ignem vel fontem, sed potius partem. Geon flumen exiens paradisum deliciarum, scilicet Nilus universam Ethiopiam cingens, dictus Geon a 'Ge', quod est 'terra'.

(358) '«Colorum cum sit»': hic commendat auctor dictos colores, hortans nos ad usum illorum, dicens: «Cum uterque colorum intellectionis – supple hoc – sit placens, tu dictator placeas utroque colore». 'Colorum' id est ornatuum amborum qui fiunt per intellectionem, scilicet partem pro toto totumque ponendo pro parte; vel 'uterque colorum' scilicet superlationis et intellectionis.

73.

(359) 'EST ETIAM VERBI' ET CETERA: hic ponitur quintus color qui dicitur abusio, cui respondet figura que appellatur cathacresis. Et diffinitur sic: abusio est que verbo simili et propinquo pro certo et proprio abutitur. Et duo facit, quia primo notificat per exempla, secundo commendat epylogando supradictos modos, ibi: '«Prescriptis modis»'.

(360) Dicit primo quod abusio tunc fit, cum debeamus dicere «In Ulixe sunt parve vires et magnum consilium»,

[Page 159]

si dicam: «Vires sunt breves et consilium est longum». Est tamen sciendum quod duplex est abusio, scilicet absolute mala, et de ista non dicitur; est et alia non simpliciter sed secundum quid, cum ex illa sequatur color, et ita est hic.

(361) '«Prescriptis»': hic auctor, transiens ad sextum colorem, primo vult epylogare de quinque commendando eos de gravitate quam faciunt et ostendit unde provenit cum dicit '«quod provenit inde»', scilicet quod res manifestantur aliis vocibus que sint imposite ad significandum illas, sed tamen sunt valde affines.

74.

(362) 'SURGIT ITEM' ET CETERA: hic ponitur sextus color qui dicitur transgressio, cui respondet figura que dicitur a Donato yperbaton, que habet fieri multis modis, ut dicit Donatus, sed hic non ponuntur nisi due species, scilicet perversio et traiectione. Et diffinitur sic: transgressio est que verborum ordinem perturbat aut perversione aut traiectione. Perversione hoc modo:

«<Hoc> deos vobis immortales
arbitror dedisse virtute pro vestra»

. Traiectione
hoc modo: «Instabilis in istum plurimum invaluit natura»'.
Et duo facit, quia primo ostendit in exemplis, secundo commendat istam malam transgressionem dando modum in ea,
ibi: «Sic ordine»'. Prima in duas, quia primo determinat de perversione, secundo de traiectione, ibi: «Aut huius»'.

(363) Iste species yperbati assignantur a Donato: histerologia sive histeron protheron, anastrophe, parenthesis, themesis et sinchisis.

(364) «Perversio»: esse autem fit perversio quando prepositio postponitur suo casuali, ut «Rege» et cetera, cum naturalis ordo requirat prepositionem casualibus anteponi.

[Page 160]

(365) «At huius generis»: hic determinat de traiectione, que est quando adiectivum separatur nimis a suo substantivo interpositione aliarum dictionum, sicut patet cum dicit «Dura creavit»'.

(366) «Sic ordine»: hic commendat istas traiectiones dando modum tenendum in eis et dicit quod talis remotio vocum plus habet saporis quam recta ordinatio, si fiat moderate.

(367) «Vocum»: id est dictionum.

75.

(368) 'SI NITI GRAVITATE' ET CETERA: supra determinavit

[Column f9v.d]

//9vd// autor de quibusdam coloribus rethoricis gravibus, puta methaphoris. Hic, quia ut plurimum ad grave sequitur obscurum, determinat de quibusdam documentis facientibus ad claritatem, quibus obscura dilucidantur. Et duo facit, quia primo epilogat ea que dicta sunt, secundo descendit ad dicta documenta, ibi: «Sic tamen»'.

(369) Dicit primo quod si placet tibi facere grave dictamen, in dictis tuis "utaris his velis", id est methaphoris, id est ornatibus et coloribus supradictis.

(370) «Sic tamen»: hic ponit autor documenta sua et tria facit, sicut tres sunt modi loquendi, scilicet gravis, mediocris et humilis. Secunda ibi: «Si qua feras»; tertia ibi:

«Si
sermo»

.
(371) Dicit primo si contingat te loqui gravi sermone, non excedas modum, ne pectes per turgidum et inflatum, quod viciū est collaterale huic primo modo, dicente Oratio: '«professus grandia turget»'. Nam, ut autor asserit, verba debent esse ut claves ad enucleandum mentis conceptus, cui alludit Philosophus, primo *Pery hermeneias*, dicens

«Voces
sunt note earum que sunt in anima passionum»

.
(372) '«Si qua feras»': hic dat autor documentum suum in stilo mediocri, dicens quod quamvis tu velis uti verbis peregrinis,

[Page 161]

id est inusitatis, ut appareas sicut quidam faciunt frequenter, in sermone mediocri non debes tantum respicere vires tui componentis quantum facultatem audientis, quia ad hoc factus est sermo, ut presto fiant mutue voluntatis indicia. Unde dictum est: «Scias ut pauci, loquaris ut plures». Item: '«scribite: sermonis publica forma placet»', quod si contra feceris, incurris viciū quod appellatur fluctuans et dissolutum.

(373) '«Cum quo loqueris»': Palladius in principio sui libri *De agricultura*:

«Pars est prudentie prima ipsam cui locuturus
es extimare personam»

.
(374) '«Cum doceas»': verbi gratia in gramatica non debet dici 'cathgorica' vel 'ypotetica', sed 'simplex' vel 'compositum'.

76.

(375) 'SI SERMO' ET CETERA: superius determinavit autor de quibusdam coloribus sive modis ornandi materiam qui sunt graves et difficiles et a Tullio appellantur rudentes. Hic prosequitur de coloribus levibus qui sunt magis formales ad ornandum et duo facit, quia primo continuat dicta dicendis, secundo prosequitur, ibi: '«Res mala!»'.

(376) Primo ergo, dans documentum suum contra humilem stilum, dicit quod si tu vis leviter dictare, non deseras nimium sententiam utendo levibus verbis, quia posses incurrere viciū quod appellatur arridum et exangue, sed facias sicut autor docet, inserendo colores sequentes, et deponere gravia et obscura.

(377) '«Unde coloretur»': id est exornetur planities.

77.

(378) 'RES MALA! ' ET CETERA: hic prosequitur autor de coloribus et duo facit, quia primo determinat de coloribus verborum, secundo sententiarum, ibi: '«Sunt alii»'. Prima in duas, quia primo determinat de dictis coloribus, secundo epilogat de ipsis dando modum sumendi eos, ibi: '«Verborum flores»'.

[Page 162]

(379) Dicit primo '«Res mala!»': per hoc tangit primum colorem qui dicitur repetitio. Et diffinitur sic: repetitio est cum continenter ab uno atque eodem verbo sumuntur principia in rebus similibus

[Column f10r.a]

//10ra// et diversis. Hoc modo:

«Vobis istud attribuendum est, vobis gratia habenda est,
vobis res ista erit honori»

. Et vocatur anaphora color iste
a Grecis.

(380) '«O malum!»': hic ponitur secundus color qui dicitur conversio. Et diffinitur sic: conversio est per quam <non>, ut ante, primum repetimus verbum, sed ad postremum continenter revertimur. Hoc modo:

«Penos populus Romanus
iusticia vicit, armis vicit, liberalitate vicit»

. Et vocatur
color iste anadiplosis a Donato.

(381) '«Cur tetigit»': hic ponitur tertius color qui dicitur complexio. Et diffinitur sic: complexio est que utramque predictarum complectitur exornationum, et hanc et quam ante exposuimus, ut repetatur id verbum sepius et crebro ad id postremum revertatur. Hoc modo:

«Qui sunt qui federa
sepe ruperunt? Carthaginienses. Qui sunt qui Ytalie
crudele bellum gesserunt? Carthaginienses. Qui sunt qui
Italiam deformaverunt? Carthaginienses»

. Et vocatur iste
color exocensis a Donato vel apud Grecos.

(382) '«Fuit hec»': hic ponitur quartus color qui dicitur traductio. Et diffinitur sic: traductio est que facit ut cum unum verbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, sed etiam concinuiorem reddat orationem. Hoc modo:

«Qui nil habet in vita iocundius vita, is non potest
vitam colere cum virtute»

. Et vocatur color iste epanados.

Et nota quod traductio differt a superioribus coloribus, quia superiores colores requirunt dictiones similes et eiusdem significati, sed traductio potest habere dissimiles – quia ablativus et accusativus – et diversi significati. Et

[Page 163]

ideo ponuntur hic duo exempla, secundum ibi:

«Pater, in
nos»

.
(383) '«De divite pauper»': hic ponitur quintus color qui dicitur contentio. Et diffinitur sic: contentio est cum ex contrariis rebus oratio conficitur. Hoc modo:

«Inimicis te
placabilem, amicis inexorabilem prebes»

. Et nota quod hic vocantur 'contraria' quolibet adversantia. Et vocatur color iste anthitheton.

(384) '«Ubi nunc»': hic ponitur sextus color qui dicitur exclamatio. Et diffinitur sic: exclamatio est que conficit significationem doloris aut indignationis alicuius <per> hominis aut urbis aut loci aut rei cuiuspiam compellationem. Hoc modo:

«Te nunc alloquor, Yesu Christe, cuius precioso sanguine de manu hostis impii liberati sumus. Sacerdotes enim sanctuarii tui fecerunt te morte turpissima condemnari»

. Et vocatur iste color apostropha.

(385) '«Favens igitur»': hic ponitur septimus color qui dicitur interrogatio. Et diffinitur sic: interrogatio est que superiorem orationem confirmat. Hoc modo:

«Cum igitur omnia faceres, utrum animum auditorum a re publica removebas, an non?»

. Et vocatur color iste pisma. Et nota quod non omnis interrogatio est gravis neque concina, sed ea tantum que, cum numerata sunt ea que obsunt cause adversariorum, confirmat superiorem orationem.

(386) '«Dic ergo»': hic ponitur octavus color qui dicitur ratiocinatio. Et diffinitur sic: ratiocinatio est per quam ipsi a nobis rationem querimus quare quidque dicamus et crebro a nobis poscimus unius cuiusque propositionis expositionem. Hoc modo:

«Bene maiores hoc statuerunt ut,
quem armis[Column f10r.b]
//10rb// cepissent, nullum regem vita privarent.
Quid ita? Quia viri fortis est eos hostes putare, qui[Page 164]

de victoria contendunt, sed, qui victi sunt, eos homines iudicare»

.
Et dicitur color iste exothema.

(387) '«Liber is»': hic ponitur nonus color qui dicitur sententia.
Et diffinitur sic: sententia est oratio sumpta de vita
que, aut quid sit aut quid fieri oporteat in vita, breviter
ostendit. Hoc pacto:

«Difficile est primum virtutes revereri
qui semper secunda fortuna sit usus»

. Et dicitur iste color
parabola apud Grecos, quod nos consuevimus 'proverbium'
appellare; unde sententia idem est quod proverbium
morale.

(388) '«At ille»': hic ponitur decimus color qui dicitur contrarium.
Et diffinitur sic: contrarium est quod ex duabus
rebus diversis alteram breviter confirmat. Hoc modo:

«In
campo non metuis illum quem de collibus eiecisti»

. Et dicitur
iste color anthitheton, sicut et ipsa contentio, nam fere
idem est; differt tamen quia contentio utrumque confirmat,
contrarium vero alterum tantum.

(389) '«Excepit»': hic ponitur undecimus color qui dicitur
membrum. Et diffinitur sic: membrum orationis est res
breviter absoluta sine totius sententiae demonstratione vel
que de uno alio membro orationis excipitur, que aliud
membrum orationis expectat. Hoc modo:

«Et <in>inimicos
proderas et amicos ledebas et tibi ipsi minime consulebas»

.
Et dicitur iste color colon apud Grecos. Vel membrum
est oratio sine plura membra. Tamen de nullo istorum
redditur ratio, ut dicendo sic:

«Iste bene facit facta
sua, iste ad omnia bona nititur: isti bene continget»

. Et
de nullo istorum membrorum redditur ratio.

(390) '«Utile lapsis»': hic ponitur duodecimus color qui
dicitur articulus. Et diffinitur sic: articulus est cum singula
verba intervallis distinguuntur cetera oratione. Hoc modo:
'«Inimicos iniuriis, potentia, perfidia, substulisti». Vel:

spes, caritas, provehant nos ad virtutes vel ad vitam»

.
Et dicitur color iste coma a Donato. Et nota quod licet superior exornatio conveniat cum ista in quantum quelibet videtur importare vehementiam, tamen differunt quia illa comparatur gladio, sed ista telo, quia sicut gladius ferit tardius telo, telum vero celerius, ita iste ferit celerius supradicta.

(391) '«Cui potior»': hic ponitur tertius decimus color qui dicitur continuatio. Et diffinitur sic: continuatio est densa et continens verborum frequentatio cum absolute sententiarum. Et vocatur color iste periodus a Donato. Et dividitur in tres partes, scilicet in sententiam, in contrarium et in conclusionem; secunda ibi: '«Qui spem»'; tertia ibi: '«Gravis ad nocumenta»'.

(392) Continuatio in sententia
hoc modo:

«Ei non multum potest obesse fortuna qui sibi
firmius in virtute quam in casu presidium collocavit»

(393) In contrario sic:

«Si quis spei multum non collocavit
in casu, quid quod ei magnopere casus obesse potest?»

(394) In conclusione sic:

«Si in eos fortuna plurimum potest
qui suas rationes omnes in casum obtulerunt, non sunt
omnia committenda fortune, ne magnam nobis nimis habeat
dominationem»

(395) '«Servemus honesta»': hic ponitur quartus decimus color qui dicitur compar. Et sic diffinitur: compar est quod habet in se membra orationis que constant fere ex pari numero sillabarum, ut:

«Alii fortuna felicitatem dedit,
[Column f10v.c]
//10vc// huic virtutem industria comparavit»

. Et vocatur
color iste rithmon. Et nota quod dixit 'fere' quia non semper est par numerus sillabarum, puta si in uno membro sunt plures, in alio longiores, nichilominus compar ibi erit. In isto colore sufficit quod paritas sillabarum videatur

esse, quia pluralitatem unius membri sillabarum potest
longitudo vel brevitās sillabarum membri alterius
adequare.

(396) '«Hoc erat»': hic ponitur quintus decimus color qui
dicitur similiter cadens. Et diffinitur sic: similiter cadens
dicitur cum due pluresve dictiones casuales similiter
eisdem casibus efferuntur. Ut:

«Hominem laudas egentem
virtutis, habundantem felicitatis»

. Et vocatur color iste
omoepthoton. Et nota quod similiter cadens et similiter
desinens non differunt nisi quod similiter cadens fit per
dictiones casuales, similiter desinens fit per dictiones non
casuales.

(397) '«Qui dignans»': hic ponitur sextus decimus color
qui dicitur similiter desinens. Et diffinitur sic: similiter desinens
est dictionum casu carentium consimilis terminatio.
Ut si dicam: '«Turpiter audes facere, nequiter studes dicere»'.
Possunt etiam isti colores simul concurrere, hoc modo:

«Perditissima ratio est amorem petere, pudorem fugere,
diligere fortunam, negligere famam»

. Et vocatur iste color
omoeteleuton. Et nota quod licet commisceantur isti colores,
non tamen commixtus est color distinctus a Tullio.

(398) '«Hic in carne»': hic ponitur alius – decimus septimus –
color qui dicitur agnominatio. Et diffinitur sic:
agnominatio est cum ad idem verbum vel nomen acceditur
commutatione vel adictione unius littere vel litterarum,
sillabe vel sillabarum, ut ad res dissimiles verba similia
commodentur. Et hoc habet fieri multis modis. Subtractione
littere, ut: '«Iste veniit a te antequam Romam venit»'.
Per additionem littere, ut:

«Quos iste alea vicit, eos
statim ferro vincit»

. Per mutationem temporis vel accentus,

[Page 167]

ut: '«Ista non est curia, sed curia»'. Fit et aliis modis pluribus,
exempla quorum se offerunt evidenter. Et vocatur iste
color paranomasia.

(399) '«Hostem»': mutatio sillabarum et litterarum et
etiam subtractio sillabe.

(400) '«Serpens»': hic ponitur duodevicesimus color qui
dicitur subiectio. Et diffinitur sic: subiectio est cum interrogamus
adversarios aut querimus a nobis quid contra nos
dici possit aut ab illis fieri, deinde subicimus quid dici
oportet aut quid non oportet, ut nobis auxilio sit futurum
et adversario nociturum. Hoc modo:

«Quero unde sit iste tantam pecuniam consecutus. Amplum illi patrimonium est relictum? Ut bona patris omnia veniverunt? Hereditas aliqua sibi venit? Dici non potest: nullus enim heredem voluit hunc habere. Precium aliquod ex lite vel iudicio non recepit, sed etiam victus est magni debiti sponsione. Cum igitur, sicut omnes videtis, non sit his rationibus is ditatus, aut illi nascitur aurum domi, aut illicite pecunias istas cepit»

. Et vocatur iste color cathaprolensis.

(401) '«Quare merito»': hic ponitur undevicesimus color qui dicitur gradatio. Et diffinitur sic: gradatio est superioris verbi repeticio, prius quam ad verbum sequens procedatur. Hoc modo:

«Istis quod libet licet et quod licet possunt et quod possunt facere non formidant»

. Et dicitur iste color clymax.

(402) '«Est eius namque»': hic ponitur vicesimus color qui dicitur diffinitio. Et est diffinitio oratio que breviter et absolute alicuius rei complectitur potestates proprias. Hoc modo:

«Maiestas rei <publice> est in qua continetur dignitas et magnitudo[Column f10v.d]
//10vd// civitatis»

. Vel:

«Civitas est hominum multitudo societatis vinculo adunata eodem iure vivendo»

. Et dicitur iste color ethimologon.

[Page 168]

(403) '«Videtis»': hic ponitur vicesimus primus color qui dicitur transitio. Et diffinitur sic: transitio est que quid dictum sit et quid dicendum breviter comprehendit. Hoc modo:

«Audistis qualis fuerit isti parens, nunc autem qualis fuerit hic parenti audiatis»

. Et dicitur iste color metipon.

(404) '«Si fieret hosti»': hic ponitur alius color qui dicitur correptio. Et dicitur correptio que tollit id quod dictum est et pro eo id quod magis ydoneum videtur reponit. Hoc modo: '«Iohanni patruo, ymo patri et domino plurimum reverendo»'. Et vocatur iste color antapodosis.

(405) '«Unde – sed ut no(tum)»': hic ponitur vicesimus

tertius color qui dicitur occupatio. Et diffinitur sic: occupatio est quando nos dicimus preterire vel nescire vel nolle dicere quod tunc maxime dicimus. Ut si dicam:

«Pretereo
tua furta et rapinas et ad id de quo est iudicium revertor»

. Et vocatur iste color parenthesis.

(406) '«Hac ratione»': hic ponitur vicesimus quartus color qui dicitur disiunctio. Et est disiunctio cum unicuique clause redditur suum verbum eodem existente subposito vel diverso. Ut:

«Populus Romanus Numantiam delevit,
Cartaginem transtulit, Fregellas evertit»

. Et dicitur iste
color ypoçeusis.

(407) '«Qui vite»': hic ponitur vicesimus quintus color qui dicitur coniunctio. Cum interpositione verbi superiores partes orationis comprehenduntur et inferiores. Sic:

«Forme
dignitas aut morbo deflorescit aut vetustate»

. Et dicitur
iste color zeuma a medio.

(408) '«Rupit enim»': hic ponitur vicesimus sextus color

[Page 169]

qui dicitur adiunctio. Et est adiunctio cum verbum quo res comprehenduntur non interponimus, sed aut postremum aut primum locamus. Primum hoc pacto:

«Deflorescit forme
dignitas aut morbo aut vetustate»

. Postremum sic:

«Aut
morbo, aut vetustate, forme dignitas deflorescit»

. Et equipollet
zeumati ab inferiori et a superiori; et vocatur iste
color omopthothon.

(409) '«Proditor hu(mane)»': hic ponitur vicesimus septimus color qui dicitur conduplicatio. Et est conduplicatio cum ratione amplificationis aut miserationis eiusdem verbi aut plurium repetitio. Hoc modo:

«Commotus non es cum
tibi pedes mater amplexaretur, non es commotus»

? Vel:
'«Tune duos una, sevissima vipera, cena? / Tune duos?»'.

(410) '«Hec sua»': hic ponitur duodetricesimus color qui dicitur interpretatio. Est autem interpretatio que non iterat idem verbum, sed quod positum est commutat, eadem significatione retenta. Hoc modo:

«Rem publicam radicitus
evertisti, civitates funditus deiecisti»

«Iudei Christum
crucifixerunt, filium Dei in patibulo posuerunt»

. Et
dicitur iste color poliptothon.

(411) '«O quam pia»': hic ponitur undetricesimus color qui dicitur commutatio. Et diffinitur sic: commutatio est cum due sententie discrepantes ita commutantur ut a priore posterior priori contraria deducitur. Ut si dicam:

«Esse
oportet ut vivas, non vivere ut edas»

. Et dicitur iste color
antimethabole.

(412) '«Tibi, fons»':

[Column f11r.a]

//11ra// hic ponitur tricesimus color qui dicitur permissio. Et diffinitur sic: permissio est cum ostendimus in dicendo nos aliquam rem totam tradere alicuius voluntati. Sic:

«Quoniam omnibus rebus ereptis superest
animus et corpus, hec ipsa que michi de multis relictas[Page 170]

sunt, vestre condono potestati. Vos me quo pacto videbitur
utamini licebit»

. Et dicitur iste color epyrocape.

(413) '«Quicquid agas»': hic ponitur tricesimus primus color qui dicitur dubitatio. Est autem dubitatio cum querit orator, vel querere videtur, utrum de duobus potius aut de pluribus quid sit potissimum <dicat>. Hoc modo:

«Offuit eo tempore plurimum rei publice consulum
sive maliciam sive stulticiam dici oportet sive utrumque»

.
Vel:

«Primus >homo>, nescio vel parens an vipera
nominandus, nos paradisi gaudiis spoliavit»

. Et dicitur iste
color aperidos.

(414) '«Que vi»': scilicet que oves per Redemptorem violenter
et non iuridice "raperentur", id est auferrentur et separentur,
"ab hoste nisi forte" et cetera.

(415) '«Sed debuit esse»': hic ponitur tricesimus secundus
color qui dicitur expeditio. Est autem expeditio
cum, rationibus plurimis enumeratis, quibus aliqua <res>
fieri aut non fieri potuerit, cetera tolluntur et una relinquitur
quam nos intendimus. Hoc modo:

«Cum constat
istum nostrum fundum fuisse, necesse est ut ostendas te
aut vacuum possedissee aut usu tuum fecisse aut emissee
aut hereditate tibi venisse. Vacuum, cum ego adessem, possidere
non potuisti; tuum etiam usu fecisse non potes; emptio
nulla profertur; hereditate tibi, me vivo, mea pecunia
venire non potuit. Relinquitur ergo ut me vi de fundo
meo deieceris»

. Vel sic:

«Christus passus est vel causa
sui vel causa nostri. Sui non, quia peccatum non fecit, ergo
causa nostri»

. Et vocatur iste color procathalensis.

(416) '«Sic(ut) opus»': hic ponitur tricesimus tertius color
qui dicitur dissolutum. Et diffinitur sic: dissolutum est
quod coniunctionibus verborum e medio sublati, separati

[Page 171]

partibus effertur. Hoc modo:

«Gere morem parenti, pare
cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus»

. Item:

«Viciu
succumbit, virtus regnat, natura triumphat»

. Et vocatur
iste color asinthethon.

(417) Continuatur sic:

«Dixi
quod fuit necesse quod Deus esset homo qui redimeret humanum
genus, sed, sicut fuerat opus – id est necesse, scilicet
quod Deus esset homo –, ita res»

et cetera.

(418) '«Res hec quarta fuit!»': hic ponitur tricesimus quartus
color qui dicitur precisio. Et diffinitur sic: precisio
est cum, dictis aliquibus, reliquum quod conceptum est dici
relinquitur in audientium iudicio. Sic:

«Tu istud nunc
audes dicere, qui nuper aliene domui... non ausim dicere,
ne, cum te digna dixerim, me indignum quidpiam dixisse
videar»

. Item:

«Ista mulier sepe suum... tacebo, ne
dicam aliquid me indignum»

. Et vocatur iste color eclipsis.
Nota tamen quod, salva reverentia istius auctoris, Tullius
vult quod iste color fiat ad exprimendam auctoritatem, sed
exemplum auctoris istius non exprimit.

(419) '«Ergo cum redimi»': hic ponitur

[Column f11r.b]

//11rb// tricesimus
quintus color qui dicitur conclusio. Et diffinitur sic: conclusio
est que brevi argumentatione ex his que ante dicta
sunt aut facta conficit id quod necessario consequitur. Hoc
modo:

«Si Danays datum erat oraculum non posse capi
Troiam nisi Philotete sagittis, hec autem nil aliud fecerunt
nisi quod Alexandrum perculerunt: hunc extinguere
nimirum fuit capere Troiam»

. Vel sic:

«Igitur si reverendos
facere nequeunt dignitates, si improborum contagione sordescunt,
si mutatione temporum splendere desinunt, si
gentium existimatione vilescent, quid est quod in se habeant
pulcritudinis, nedum aliis prestant?»

.

(420) 'VERBORUM FLORES' ET CETERA: hic epilogat auctor ea que ante dicta sunt de coloribus verborum, excusando se circa modum procedendi et etiam ostendendo per quem modum sunt sumendi isti colores. Et tria facit, quia primo epylogat, secundo excusat se, tertio modum procedendi insinuat. Secunda ibi: '«Si tamen»'; tertia ibi: '«Sic igitur»'. Littera et sententia patet.

(421) '«In quibus est»': hoc dicit ad differentiam colorum transumptionis qui sunt prolixiores.

(422) '«Et propria sumptio vocum»': hoc dicit ad differentiam eorundem colorum ubi voces non sumuntur proprie, sed transumptive.

(423) '«Si tamen»': hic, excusando se, autor respondet tacite questioni. Posset aliquis dicere: «Tu dicis te determinare de coloribus et tamen uteris transumptionibus». Ad hoc respondet dicens quod ipse hoc facit ut admisceat levitatem gravitati, id est colores verborum qui sunt leves coloribus transumptionis qui sunt magis graves. Et reddit causam, quia dicit ipse: «Licet levitas in dulcedine proprie forme sapiat», id est licet colores verborum sine coloribus transumptionis sint satis pulcri, «tamen pulciores sunt conditi sapore gravium», scilicet si est ibi transumptio.

(424) '«Sic igitur»': hic dat modum sumendi dictos colores dicens quod sunt inserendi mixtim et raro ponendi et confirmat dictum suum per simile, quia omne rarum habetur carum et omne nimium frequens est insipidum.

79.

(425) 'SUNT ALII FLORES' ET CETERA: hic agitur de coloribus sententiarum quibus ipse sententie ornantur. Et circa hoc ita procedit, quia primo proponit, secundo prosequitur, ibi: '«Distribuit»'.

(426) Dicit primo quod preter hos colores qui dicti sunt,

[Page 173]

alii inveniuntur quibus sententia coloratur primo et per se. Littera plana est.

(427) '«Distribuit»': hic prosequitur autor et duo facit, quia primo determinat de coloribus sententiarum, secundo redit ad determinandum de duobus de quibus non plene determinaverat, ibi: '«Scemata si rerum»'. Prima in duas, quia primo ponit diffinitiones omnium colorum sententiarum, secundo ponit exempla, ibi: '«In serie dicta»'. Prima dividitur in undeviginti partes, sicut undeviginti sunt colores, quorum primus est distributio. Partes patent.

(428) Dicit primo quod distributio '«distribuit»' et cetera. Est autem distributio res in plures aut personas quedam negotiorum certa particio, ut:

«Beati pauperes[Column f11v.c]
//11vc// spiritu,
beati mites corde, beati qui lugent»

, et cetera. Et hec exornatio est valde copiosa, quia breviter plura comprehendit. Exemplum autem huius est ubi dicit '«Est pape»', dicens quod et cetera.

(429) '«Cum culpat»': hic ponitur color qui dicitur licentia, de qua dicit Tullius quod licentia est quedam grata reprehensio in maiores. Hoc modo:

«Propter potentiam,
plurimi vos contempnunt»

. Et sic reprehenditur maior curialiter tamen. Exemplum est ubi dicit '«Sed errant»'.

(430) '«Cum plus»': hic ponitur color qui dicitur diminutio. De qua Tullius sic dicit:

«Diminutio est quedam sententie
attenuatio causa benivolentiam comparandi»

. Ut:

«Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus»

. Vel si dicam:

«Domine, diutius laboravi ne
inter doctores locum minimum obtinerem»

. Exemplum
est ubi dicit '«Papa potens»'.

(431) '«Resque secuturas»': hic ponitur color qui dicitur
descriptio. Et diffinitur sic: descriptio est que rerum consequentium
continet perspicuam et dilucidam cum gravitate

[Page 174]

expositionem. Hoc modo:

«Nisi dominus obstiterit huic tyranno,
quasi leo dominabitur omnibus violenter, acuens
dentes in cuiusque fortunas, incursum faciens in omnes
amicos et pariter inimicos»

. Exemplum huius ponitur ibi:
'«Si dormit vindicta»'.

(432) '«Et rem disiungens»': hic ponitur color qui dicitur
divisio. Est autem divisio que rem semovens a re
utramque absolvit, ratione subiecta. Hoc modo:

«Cur ego
tibi quicquam obiciam? Si probus es non meruisti, si improbus
es non commoveris»

. Item:

«Cur egris medicina
utendum est? Si statutus yminet dies mortis, procul dubio
morientur. At si terminus vite longior est concessus,
absque ulla medicina prorsus evadent»

. Exemplum est
ubi dicit '«Duo sunt»'.

(433) '«Vel singula»': hic ponitur color qui dicitur frequentatio.
Et diffinitur sic: frequentatio est cum res in tota
causa disperse coguntur quo gravior aut acrior aut criminosior
sit oratio. Hoc pacto:

«A quo tandem abest iste vitio?
Velitis eum liberare. Sue pudicitie proditor, insidiator aliene,
cupidus, intemperans, petulans, superbus, impius in parentes,
ingratus amicis, infestus cognatis, in superiores
contumax, in equos et pares fastidiosus, in inferiores crudelis,
denique intolerabilis in omnes»

. Exemplum est ibi:
'«Lege quicquid»'.

(434) '«Iterum variando»': hic ponitur color qui dicitur
expolitio. Et est expolitio cum in eodem loco manemus et

tamen aliud dicere videbitur tunc. Hoc fit dupliciter: primo cum eandem rem dicimus verbis mutatis, secundo cum de eadem re diverso modo, verbis pluribus et diversis. Ad sermocinationem pertinet et multum exornat dictatoriam facultatem; exempla cuius non ponimus causa prolixitatis vitande. Exemplum ponitur ubi dicit '«Scelerum, pater»'.

[Page 175]

(435) '«Aut ad idem»': hic ponitur color qui dicitur comoratio. Est autem commoratio ad id quod in nostra causa firmissimum est frequens regressio, ut melius in memoria teneatur. Exemplum ydoneum poni non potest, nam dicit Tullius quod

«hic locus non est a tota causa separatus
cum sit membrum aliquod, sed tamquam sanguis perfusus
est per totum corpus orationis»

. Exemplum est ibi:

«Ergo
nephas»

.

(436) '«Aut aliter»':

[Column f11v.d]

//11vd// hic ponitur color qui dicitur contentio. Et diffinitur sic: contentio est per quam contraria referuntur. Et hoc fit in verborum exornationibus sic: '«Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem reddis»', ut ante dictum est. Sed in sententiarum coloribus sic fit:

«Vos
huius incomodis lugetis, ipse rei publice calamitatibus letatur»

.

Inter hec duo genera contentionum hoc interest, quod illud ex verbis celeriter relatis constat, in hoc sententie contrarie efferuntur ex comparatione. Unde iste color potest sine verborum contentione contingere, ut:

«Illi sunt lepores,
hi leones»

. Exemplum ponitur ibi: '«Propria queque»'.

(437) '«Sepius ex re»': hic ponitur color qui dicitur similitudo, de qua sic dicit Tullius: similitudo est oratio res diversas assimilans non iuxta corporis figuram, ne sit ymago, et absque certa persona, ut discrepet ab exemplo. Ut:

«Sicut
desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima
mea ad te, Deus»

. Exemplum autem huius est ubi dicit

«Sit
quod eos»

.
(438) '«Vel cum nomine»': hic ponitur color qui dicitur
exemplum, de quo dicit Tullius quod

«Exemplum est alicuius
facti aut dicti cum certi auctoris nomine propositio»

.
Et hoc a Grecis dicitur paradigma. Ut si dicam:

«Noli esse
superbus, ne tibi sicut Lucifero contingat, qui de celo
propter superbiam est deiectus»

. Huius exemplum est ubi
dicit '«Vix tamen»'.

(439) '«Dictos vel»': hic ponitur color qui dicitur ymago,
de qua sic dicit Tullius:

«Ymago est forme alicuius rei corporalis
cum forma cum quadam similitudine collatio»

. Et
fit causa vituperii vel laudis. Causa vituperii ut:

«Iste vadit
sicut vulpes subdola»

; causa laudis ut: '«Iste vadit sicut leo»'.
Et differt effectio ab ymagine quia in ymagine comparatur
forma forme, sed in effectione solum describitur forma alicuius.
Exemplum huius est ubi dicit '«Ille malignantis»'.

(440) '«Sive color»': hic ponitur color qui dicitur effectio,
de qua sic dicit Tullius:

«Effectio est cum exprimitur
atque effingitur verbis cuiuspiam corporis forma, quoad
satis sit ad intelligendum»

. Hoc modo:

«Hunc <dico> rubeum,
breve, canum, subcrispum, cui sane magna est sub
mento cicatrix»

. Exemplum est ubi dicit '«Ille quis? Ille»'.

(441) '«Deinde quasi»': hic ponitur color qui dicitur notatio,

de qua dicit Tullius quod

«Notatio est cum alicuius natura
certis describitur signis, que sicut note quedam nature
sunt attributa»

, scilicet quando per dicta vel facta virtus sive
viciū notatur. Et hoc habet maxime in comediis locum,
ubi mirabiliter representantur mores quasi naturis
hominum attributi. Huius autem exemplum est ubi dicit
'«Scisne moram»'.

(442) '«En alium»': hic ponitur color qui dicitur sermocinatio.
Et est sermocinatio cum alicui persone sermo attribuitur,
ratione dignitatis. Hoc modo:

«Cum militibus urbs
redundaret et omnes timore oppressi»

et cetera. Longum
est exemplum Tullii, potest tamen poni exemplum de
Christo et Iudeis. Ipsi enim dicebant: '«Demonium habes»'.
Et ipse: '«Demonium non habeo»'. Et pendens in cruce dicebat:
'«Domine ne statuas illis hoc peccatum»'. Illi vero dicebant:

[Page 177]

«Alios salvos fecit, se ipsum salvum facere non potest;
descendat de cruce»

et cetera. Similiter hac exornatione

[Column f12r.a]

//12ra// utimur sic loquendo:

«Si hoc audiverit sive sciverit
pater tuus, quid eum dicturum putas?»

. Et sciendum
est quod multum valet hec exornatio, quoniam aliter liber,
aliter servus, aliter sapiens, aliter indoctus, inducitur ad loquendum;
iuxta illud Oratii in *Poetria*:

«Intererit multum
Davusne loquatur»

et cetera. Exemplum autem huius ponitur
ubi dicit '«Pontificis servus»'.

(443) '«Postea res»': hic ponitur color qui dicitur conformatio.
De qua sic dicit Tullius:

«Conformatio est cum aliqua
que non adest persona confingitur quasi assit, aut cum
res muta et informis fit eloquens et formata».

Hoc modo, si
loquatur urbs invictissima dicens:

«Ego plurimis tropheis
ornata, triumphis ditata, clarissimis locupletata victoriis,
nunc vestris seditionibus, cives, vexor»

. Et dicitur prosopopeya
a gramaticis. Exemplum huius ponitur cum dicit
‘«Cum mortem pateretur»’.

(444) ‘«Modo suspitioni»’: hic ponitur color qui dicitur significatio.
De qua dicit Tullius quod

«Significatio est res
que plus relinquit in suspitione quam ponatur in oratione.
Et fit per exuperationem, ambiguum, consequentiam, abscissionem
et similitudinem»

. Exempla inferius subiungentur.
Exemplum huius primum est ‘«Sola Deum risit»’.

(445) ‘«Modo comprimo»’: hic ponitur color qui dicitur
brevitas. Et diffinitur sic: brevitatis est res ipsis tantummodo
verbis necessariis expedita. In *Simbolo* apparet, ut:

«Christus
est conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine,
passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus»

.
Et nota quod brevitate utimur vel quando longam orationem
materia non requirit vel ubi non licet diutius immorari.
Exemplum autem huius est ‘«Sic homini pugnavit»’.

[Page 178]

(446) ‘«Modo res»’: hic ponitur color qui dicitur demonstratio.
Et diffinitur sic: demonstratio est cum res verbis exprimitur
ut geri negotium et res ante oculos esse videatur.
Et hec exornatio in narratione et conclusionem precipuum
habet locum et perfectissima est omnium exornationum,
quia comprehendit ea que sunt ante rem, in re et post
rem et a rebus consequentibus aut circumstantibus non
recedit; et hoc in passione Domini patet aperte. Vel demonstratio
est quando aliqua res describitur a principio usque
ad finem, ita quod nichil omittatur de re neque de circumstantiis
rei, ut si quis describeret bellum Troianum et inciperet
a gemino ovo. Exemplum ibi: ‘«Cur Deus et»’.

(447) ‘«In serie dicta»’: hic ponit autor quot sunt colores
sententiarum et duo facit, quia primo ponit numerum dictorum
colorum, secundo ponit exempla, ibi: ‘«Est pape»’.
Littera plana est.

80.

(448) 'EST PAPE' ET CETERA: in parte precedenti posuit autor colores sententiarum et numerum eorum. Hic ponit exempla et dividitur in duodeviginti partes, sicut duodeviginti sunt exempla. Partes patent; littera plana est.

(449) '«Minorum»': id est subditorum. Et sic apparet sententia distributionis.

(450) '«Papa potens, cuius non est bre(ve) pos(se)»': per hoc tangitur diminutio, quia ista vocabula minus dicunt et plus intelligunt et etiam attenuant arrogantiam.

(451) '«Si dormit»': potest etiam sic exponi exemplum descriptionis,

[Column f12r.b]

//12rb// volendo persuadere domino vel alicui episcopo ut det beneficium alicui, dicendo: «Domine, si providetis isti in beneficio talis ecclesie, ipse est sapiens in regendo spiritualia, potens in defendendo temporalia, honestus in dando subditis bona exempla et sic ab eo ecclesia

[Page 179]

bene gubernabitur». Et nota quod non sumitur hic descriptio ut est oratio indicans esse rei per accidentalialia, sed dicitur descriptio quia hic describuntur res que possunt accidere ex factione vel dimissione alicuius rei.

(452) '«Hoc eius meritum»': si malum alicuius malefacientis laudetur non est eius meritum, id est non prodest ei, ymo nocet, quia magis delectatur in ipso.

(453) '«Scelerum, pater»': hic ponitur exemplum expolitionis que, ut dictum fuit supra, fit dicendo varie vel eandem rem vel eadem de re. Sed tribus modis varie dicemus eandem et septem modis varie dicetur eadem de re, qui modi apertius ponuntur a Tullio; unde dicit ipse quod

«Eandem rem dicemus, non eodem modo – nam idem quidem obtundere est auditorem, non expolire rem – sed commutare debemus. Unde sciendum quod commutatio fit tribus modis: verbis, pronunciando et tractando. Verbis commutabimus si, cum res semel dicta est, iterum aut sepius aliis verbis que idem valeant, eadem profertur»

, ut patet in exemplo autoris.

«Pronunciando commutabimus rem si tum in sermone, tum in acrimonia, tum in aliquo atque alio genere vocis atque gestus eadem verbis commutando pronunciationem quoque vehementius immutabimus. Tractando immutabimus si sententiam traiciemus aut ad sermocinationem aut exusitationem»

, de quibus patet in exemplo hic.

(454) Eadem de re septem modis dicemus: aut componemus rem simplicem cum ratione aut componemus rem duplicem cum rationibus aut eandem rem sine rationibus aut ponendo contrarium aut simile aut exemplum aut conclusionem. Et duo facit, quia primo exemplificat qualiter expolimus eandem rem, secundo qualiter eadem de re, ibi: '«Prudens ita papa»'. Prima in tres, quia primo eandem

[Page 180]

rem expolimus verbis, pronunciando et tractando. Primo igitur docet ponendo exemplum qualiter verbis usque ad locum illum: '«Papa bonus tractes»'. Secundo, cum deberet ponere exemplum expoliendi pronunciationem vel pronunciando, non ponit, quia, ut dicebatur, hoc magis dependet ex parte nostra, ut in acrimonia, gestu et voce; de quo exemplum dari non potest et ideo transfert se ad exemplificandum de modo tractandi eandem rem. Et quia tractando expolimus dupliciter, vel per sermocinationem vel per exusitationem, ideo primo ponit exemplum per sermocinationem ibi: '«Papa bonus»', usque ad illum locum:

«Quisnam
igitur»

; ibi exemplificat per exusitationem. Sententia prime partis et constructus est planus.

81.

(455) 'PAPA BONUS' ET CETERA: hic docet auctor per exemplum qualiter tractando per sermocinationem possumus expolire. Nam sermocinatio est cum alicui persone sermo attribuitur et is exponitur cum ratione dignitatis et intelligas de persona in dignitate constituta. Unde sermo hic attribuitur pape ut de se ratiocinationem faciat, quod totum est planum.

82.

(456) 'QUISNAM' ET CETERA: hic docet expolire eandem rem

[Column f12v.c]

//12vc// tractando per exusitationem. Est autem exusitatio cum nos commoti videmur aliquid dicere quod commoveat auditoris vel iudicis animum, quod satis innuitur per verba hic posita. Littera plana est.

(457) '«Prudens ita»': hic docet expolire de eadem re septem modis. Et est hic primi modi exemplum, scilicet cum ponimus rem simplicem cum ratione. Cum dicit "papa prudens" et cetera hec est res proposita; "quia tanta potestas" et cetera: hec est ratio illius rei.

(458) '«Ad hoc, maculas»': hic ponitur secundus modus, quia ponuntur due res cum duabus rationibus. Dicit enim

[Page 181]

quod hoc posse datum est illi pape "ut tolleret maculas" et cetera.

(459) '«Ergo remissus»': hic ponitur exemplum tertii modi expoliendi, scilicet cum ponitur eadem res sine rationibus. Quod satis patet.

(460) '«An melius»': hic ponitur quartus modus, scilicet per contrarium. Nam nocere et prodesse, vigilare et dormire, sunt contraria. Nunc autem expolitur res ex comparatione istorum contrariorum, quasi ubi papa '«somno torpente»' et cetera.

(461) '«Memento notare»': hic ponitur quintus modus expoliendi, per simile. Nam similitudo est rerum differentium eadem qualitas vel, sicut statim dicetur per Tullium,

«Similitudo
est oratio traducens ad rem quempiam, id est aliquam,
ex re dispari simili»

; quod apparet in hoc exemplo,
cum dicitur "o papa memento notare instar boni pastoris"
et cetera. Nam pastor, in quantum gubernat, est similis pape
et e contrario. Et subditi et ovile in hoc conveniunt, quia
reguntur, sed res sunt diverse.

(462) '«Vel, quomodo»': hic ponitur sextus modus, per exemplum.
Et diffinitur sic: exemplum est alicuius dicti vel
facti preteriti cum certi auctoris nomine propositio, sicut
statim dicetur de ipsa in propria forma. Et ita facit hic
in adaptatione phisicus et pastor noster Deus.

(463) '«Sic vi rationis»': hic ponitur septimus modus expoliendi
rem, scilicet per conclusionem. Nam conclusio est
que ex premissis concluditur. Nam dicit:

«Ex his que dicta
sunt sequitur quod "constat, vi rationis et vi exempli, nepharia
mundi esse tollenda"»

(464) '«Propria»: dicit quia habes regere humanum genus,
unde si male regis gravis ex ista sorde. Et patet quomodo.

[Page 182]

Hic res contrarie, quia proprium et publicum "subruit omnes".
Nam tale vicium, scilicet iuvare subditos et pregravare
papam sunt sententie contrarie.

(465) '«Sit quod eos»': hic ponitur alius modus expoliendi
rem, scilicet per similitudinem. Similitudo enim secundum
Tullium fit quattuor de causis, scilicet causa ornandi,
causa probandi, causa apertius dicendi et causa ante
oculos ponendi; et secundum has causas fiat quattuor modis,
scilicet per contrarium, per negationem, per brevitatem
et per collationem.

(466) '«Ille malignantis»': de ymagine ponitur hic exemplum
in duobus, scilicet in dyabolo et in Christo, et forma
dyaboli comparatur forme hostis et forma Christi comparatur
forme leonis et serpentis.

(467) '«Scisne moram pigri?»': hic ponit autor exemplum
notationis. Et duo facit, quia primo ponit naturam pigri
certis signis, secundo adaptat ad propositum, ibi:

«Huius
ymago»

(468) '«Pontificis servus»': hic ponitur alius modus

[Column f12v.d]

//12vd// expoliendi rem, scilicet per sermocinationem. Et
fit sermocinatio quandocumque in aliqua locutione sententie
seriatim ordinantur, ita quod una distincte post aliam.
Sicut hic, quia primo autor de servo, secundo de Christo
et sic de singulis.

(469) '«Cum mortem»': hic introducitur Natura ad loquendum,
que caret loquella.

(470) '«Sola Deum»': hic ponitur exemplum significationis,
in quo exemplo per posteriora duo ponit in significatione,
scilicet filios Iudeorum qui crucifixerunt Christum,
quia vere postea fuerunt in obprobrium eorum sempiternum,
vel dat significationi quod, propter illud verbum dictum
ab eis, scilicet

«sanguis eius super nos et super filios[Page 183]
nostros»

, semper ab eis ludeis descendit sanguinis gutta per virgam et mulieribus per secessum in omni nova luna, ex quo sic sunt pallidi; ideo curialiter plura significat quam dicat per hoc vocabulum, 'posteriora'. Cetera plana sunt. Significatio est quando per pauca verba plura relinquantur in intellectu, ut si quis multa mala fecerit propter que devenerit ad aliquod magnum periculum, poterit aliquis omnia ista mala ita dare intelligi paucis verbis, dicendo sic:

«Ea
que iste fecerit, id quod modo patitur manifestat»

.
(471) '«Cur Deus et»': hic ponit exemplum demonstrationis et duo facit, quia primo ponit quoddam preambulum, secundo exequitur de intento, ibi: '«Civibus angelicis»'.

(472) '«Civibus angelicis»': autor iste, volens describere formationem Ade pro exemplo demonstrationis, incipit ab ipsa creatione angelorum, describens conditiones ipsius Luciferi usque ad istum locum: '«Post cursum quinque»'. Et dicitur ista demonstratio ante rem. Ibi describit formationem Ade et quomodo habuit se usque ad locum illum:

«Sic
cecidere»

. Et dicitur ista demonstratio in re, quia principaliter intendit describere hoc. Ibi ponit quomodo humanum genus prostratum fuit per peccatum Ade et dicitur ista demonstratio post rem, quia hoc consecutum fuit ad primum. Et hoc facit usque ad illum locum: '«Filius ergo Dei»'. Illic ostendit quid circumstet, quia Deus incarnari voluit propter nos restaurandos. Et dicitur ista demonstratio de circumstantia rei, usque ad illum locum: '«Filius hec secum»'. Illic demonstrat quid fuit consecutum ad illam rem, quia Christus incarnatus est et mortuus pro nobis et nos resurgendo reparavit.

(473) '«Post cursum»': hic ponitur exemplum demonstrationis in re, quia principaliter intendit demonstrare formationem Ade.

(474) '«Sic cecidere»': hic ponitur exemplum demonstrationis post rem, quia postquam Adam formatus est et peccavit, pulsus fuit de paradiso.

[Page 184]

(475) '«Filius ergo»': hic ponit exemplum demonstrationis de circumstantia rei, quia presumptio Luciferi fuit causa formationis Ade et etiam peccati et Filius Dei est causa redemptionis.

(476) '«Filius hec secum»': hic ponitur exemplum demonstrationis consecutionis ad rem, quia incarnatio Filii Dei et passio et redemptio nostra fuit consecuta ad ipsam rem, scilicet formationem Ade.

83.

(477) 'SCEMATA' ET CETERA: postquam autor superius determinavit de coloribus verborum et sententiarum, hic

[Column f13r.a]

//13ra// resumit duos ex illis, scilicet significationem et diminutionem, de quibus non plene determinaverat. Et duo facit, quia primo dat causam resumptionis, secundo resumit, ibi: '«Hoc ita proposito»'.

(478) '«Hoc ita proposito»': hic prosequitur de illis et duo facit, quia primo resumit diminutionem, secundo significationem, ibi: '«Si cooperta venit»'.

(479) Prima pars satis apparet, quia huiusmodi verba videntur diminutionem facere et importare, scilicet

«Non est
mea parva potestas, / Non exilis honor»

, nam magnam rem dicturus. Minus dicit ne abrogans esse videatur, propterea dimittit. Littera plana est. Diffinitionem autem quere in tertio colore colorum sententiarum.

(480) '«Si cooperta»': hic resumit significationem et duo facit, quia primo ostendit ad quid valeat significatio, secundo de illa determinat, ibi: '«Ex tot et ex»'.

(481) Dicit primo quod significatio valet ad sententiam dilucidandam et quod virtute talis coloris plus innuitur quam verba significant.

84.

(482) 'EX TOT ET EX' ET CETERA: hic determinat autor de significatione et duo facit, quia primo prosequitur de ipsa, secundo ipsam commendat, ibi: '«Talibus egregium»'. Prima dividitur in quinque, secundum quod quinque sunt species eius, quia habet fieri per superlationem sive yperbolem, per ambiguum, per consequentiam, per abscisionem et per si-

[Page p.185]

militudinem. Secunda ibi: '«Ille vir»'; tertia ibi:

«Inspectis
virgis»

; quarta ibi: '«Hic color»'; quinta ibi: '«Magnus es»'.

(483) Dicit sic de primo quod significatio habet fieri per yperbolem. Nam yperbole est veritatis concessio qua frequenter trage di utuntur ad exaggerandam vehementiam rei. Nam in omni sua specie significatio habet hoc, quod plus in suspitione derelinquit quam positum sit in oratione. Et cum dicit

«nec habet quo tegmine velet / Pauperiem,
nec habet testam»

et cetera, maximam paupertatem notat et veritatem excedit, quia quasi impossibile videtur ita pauperem esse. Differt autem hec species a diminutione, quia in diminutione magna et grossa res attenuatur ne ducatur in comparationem.

85.

(484) 'ILLE VIR 'ET CETERA: hic ponitur significatio per ambiguum, quando dictio potest trahi ad diversam significationem, ut cum dicitur '«egregius»', quia potest teneri proprie et per yroniam sive derisionem. Similiter '«oblique»' potest importare obliquitatem oculi et peccatum visus et potest similiter importare invidiam et malivolentiam. Unde qui hoc audit suspicari potest ulterius. Littera plana est.

(485) 'INSPECTIS ET' CETERA: hic ponitur significatio per consequentiam. Et dicitur hic consequentia cum aliquae res dicuntur quae consequuntur aliam rem, ex quibus tota res relinquitur in suspitione, sicut hic: '«Inspectis virgis»'. Nam per hoc datur intelligi ipsum prius timuisse, quia ex timore causatur pallor et ideo color pueri recessit. Nam ex timore sanguis recurrit ad cor et albam faciem dimittit. Et addit '«Crinibus incessit comptis»' quia per hoc datur intelligi ipsam luxuriosam et lascivam esse et ponitur consequens pro antecedente, quia

[Column f13r.b]

//13rb// prius est lasciva, deinde vagatur et comitur. Littera plana est.

(486) '«Hic color»': hic notatur quomodo fiat significacio

[Page 186]

per abscisionem, ut si nos abscidamus aliquid quod concepimus dicere vel incepimus dicere et ex eo quod iam dictum est satis suspitioni relinquitur, sicut hic cum dicitur '«Hic color, hic sexus»' et non addo plus, datur intelligi quod homo aliquis fuit visus nuper in thalamo illius coloris et illius sexus et etatis.

86.

(487) 'MAGNUS ES' ET CETERA: hic docet significationem per simile. Et fit isto modo, scilicet cum, aliqua re collata, nil amplius dicimus, sed ex eo quod dictum est significamus quid intendimus vel sentimus, ut hic: '«Magnus es»'. Et ponit autor duo exempla, secundum ibi:

«Magnus
Alexander»

(488) Nam ex eo quod dicit '«memento Neronis»' ponit quoddam simile primo per quod dat intelligere illud quod in suspitione derelinquit, quasi dicat: «Tu posses male finire ex nimia sevicie vel superbia sicut Nero».

87.

(489) 'MAGNUS ALEXANDER' ET CETERA: hic introducit autor quoddam exemplum, scilicet qualiter Alexander, volens sibi subiugare Athenas, stans in obsidione ad pacem devenit cum eis, hoc pacto: si vellent ei pro obsidibus decem de prudentioribus dare. Quo habito consilio super hoc, unus prudentum cui non placebat hoc, considerans Alexandrum velle eos postea decipere habitis prudentioribus, dixit in consilio hanc fabulam pro exemplo, scilicet lupi ex una parte et pastoris ex altera, narrans qualiter lupus, accepto cane et ariete, nullum fedus postea observavit. Et hoc dicto nichil amplius dixit, relinquens in suspitione non esse faciendum illud cum eis malum contingere posset, scilicet ne Alexander faceret eis sicut lupus fecit pastori.

88.

(490) 'TALIBUS EGREGIUM' ET CETERA: hic comendat autor tales significationes et duo facit, quia primo comendat tales significationes, secundo ponit omnium colorum commendationem, ibi: '«Verborum flores»'.

(491) Dicit primo quod sententia non recta fronte venit per tales colores, sed valde ab obliquo et artificiose; et sunt quinque species in una forma. Littera plana est.

[Page 187]

(492) '«Verborum flores»': hic ponit commendationem omnium colorum et dicit quod si homo vult habere purpuratum sermonem debet mixturam patrare ex utroque genere colorum. Et hec de coloribus dicta sufficiant.

89.

(493) 'QUID DECEAT' ET CETERA: expedito de coloribus tam verborum quam sententiarum secundum quamlibet suam speciem, hic intendit de arte inveniendi ydonea vocabula ad omnem ornatum, tam levem quam difficilem. Et duo facit, quia primo dat necessitatem et utilitatem huius artis, secundo de ipsa prosequitur, ibi: '«Tria sunt hec»'.

(494) Dicit primo quod quidam sunt qui solo usu sciunt ornate loqui, ignorantes penitus artem, secundum quam incipiant et a qua et a quo possint

[Column f13v.c]

//13vc// trahere ornatum,
et tales sunt sicut ceci palpantes et non videntes viam. Ne igitur tibi contingat sicut illis, adisce artem istam domando animum, ne vagetur circum circa!

(495) '«Tria tantum»': hic prosequitur et duo facit, quia primo dat illa in generali circa que versetur tota ars, secundo dat illa in speciali, ibi: '«Ecce locum»'. Sententia prime partis cum constructu plana est.

(496) '«Ecce locum primum»': hic dat in speciali illa circa que versatur ars et duo facit, quia primo dat artem inveniendi ornatum ex commutatione vocabulorum, secundo ex determinatione ipsorum, ibi: '«Adice premissis»'. Prima in duas,

quia primo facit quod dictum est, scilicet quia dat modos quibus ars ista habet fieri, secundo removet quandam cavillationem, ibi: '«Ablactor»'. Prima in tres, secundum quod tria sunt illa circa que versatur tota ista ars; nam primo docet quomodo posset fieri commutatio in nomen, secundo quomodo dictio casualis possit mutari, tertio quomodo mutetur dictio indeclinabilis. Secunda ibi: '«Dictio per solos»'; tertia ibi: '«Vocum que»'. Prima in duas, quia primo dat documentum

[Page 188]

commutandi verbum in nomen, secundo exemplificat, ibi: '«Luceat exemplo»'. Prima iterum in duas, quia primo dat artem commutandi verbum in nomen, secundo docet nos esse attentos circa talem doctrinam, ibi: '«Hic igitur funda»'. Prima in duas, quia primo dat generalem regulam, scilicet quia verbum mutatur in nomen, secundo quomodo descendit a verbo equipollenti, ibi: '«Aut aliquo»'.

(497) Dicit primo quod locus primus circa quem versetur ista ars est quod verbum mutetur in nomen, ut exemplum dicturus est. Totum est planum.

(498) '«Aut aliquo»': hic docet quomodo a verbo equipollenti potest fieri talis commutatio, dicens quod aut nomen descendat ab aliquo verbo quod ponderet eque "aut similetur" et cetera, ut patet in littera que plana est.

(499) '«Et non sufficit ad rem»': quia, quamvis nomen habeat idem significatum quod verbum, tamen per se, sine verbo, non potest perficere orationem et ideo oportet quod adiungatur verbo.

(500) '«Ex hac scintilla»' et cetera: id est ex ista parva significatione verbi que remansit in nomine, tota perficietur oratio vel sententia.

(501) '«Hic igitur funda»': hic, resumendo doctrinam et assignando difficultatem et attentionem, docet nos esse attentos circa ipsam. Et primo facit hoc, secundo dat modum procedendi in ipsa doctrina, ibi: '«Sed iste sit»'. Prima in duas, quia primo resumat doctrinam, secundo assignat difficultatem in ea, ibi: '«Sed ad hoc»'.

(502) Dicit primo quod in hoc debes studere: ut nomen derivatum a verbo commutetur in quemlibet casum.

(503) '«Sed ad hoc»': hic assignat difficultatem et attentionem in ipsa doctrina dicens "O studiose cude", id est percute, "in incude", id est instrumento fabrorum in quo

[Page 189]

percutiendo materiam ferri eliciunt ferramenta, et "recude", id est iterum percute, et "excude", id est extrahe que concipis, "denique", id est finaliter.

(504) '«Sed iste sit ordo»': hic dat modum procedendi dicens quod omnes modos commutationis debemus sumere et abiliorem sententie proferre per lemmata usu et arte, quia secundum Tullium in prohemio dicitur

«Scias hanc artis
preceptionem absque exercicio accomodari
[Column f13v.d]
//13vd// non
posse»

. Littera plana est.

(505) '«Luceat exemplo»': hic exemplificat de ista commutatione et duo facit, quia primo exemplificat de dictis modis commutationis verbi in nomen, secundo comparat predictos modos, ibi: '«Sic nomina verbis»'. Prima in duas, quia primo premitit materiam circa quam fit commutatio, secundo prosequitur dictos modos, ibi: '«Ex hoc fonte»'. De primo facit duo, ut duobus modis ponit exemplum: aut de ipso verbo proposito vel ab aliquo sibi simili. Secunda ibi: '«Sic ergo sensum»'. Unde debet sic continuari. Huc usque docui mutare verbum in nomen fixum et id nomen est variandum per singulos casus, ut sit diversimode proposita materia.

(506) '«Ex hoc fonte»': hic exemplificat et duo facit, quia primo ponit modum commutandi verbum principale in nomen, secundo ostendit qualiter simile verbum commutetur, ibi: '«Vel idem non»'.

(507) '«Vel idem non»': hic ostendit qualiter verbum simile commutetur et duo facit, quia primo ostendit hoc, scilicet qualiter verbum simile commutetur ponendo unum exemplum satis ydoneum, secundo ponit alterum magis ydoneum, ibi: '«Vel dic fecisti»'. Littera plana est.

(508) '«Vel dic fecisti»': hic ponit aliud exemplum magis ydoneum.

[Page 190]

(509) '«Sic nomina»': hic, ut dicebatur, comparat istos modos ad invicem, dicens quod sicut transumptio nequit nomina verbis, sic modus secundus, si bene transumatur, est iocundior altero.

(510) 'DICTIO PER SOLOS' ET CETERA: hic, ut dicebatur, determinat autor de mutatione dictionis casualis et duo facit, quia aut dictio casualis est substantiva aut adiectiva. Ideo primo determinat de adiectivo, secundo de substantivo, ibi: '«Hunc fixo»'. Prima in duas, quia primo ostendit commutationem adiectivi, secundo ostendit quomodo illi commutationi est addendum aliquid ut fiat conformis sensui priori, ibi: '«Mobile sic mutes»'. Prima iterum in duas, quia primo ostendit quomodo fixum elicitur ab adiectivo, secundo quomodo a suo simili, ibi: '«Sic candor»'. Prima iterum in duas, quia primo proponit quod commutatio adiectivi non differt a commutatione verbi, secundo exemplificat, ibi: '«Candidus est vultus»'. Primum patet.

91.

(511) 'CANDIDUS': hic, ut dicebatur, exemplificat auctor et duo facit, quia primo exemplificat de omnibus modis, secundo ultimum illorum approbat, ibi: '«Sedet hic»'. Littera plana est.

(512) '«Sedet hic modus»': hic approbat autor ultimum illorum modorum dicens quod "hic modus sedet apte" et cetera.

(513) '«Sic candor»': hic ostendit quomodo substantivum elicitur ab adiectivo simili et duo facit, quia primo resumpt que dicta sunt, secundo ponit mutationem illam, ibi:

«Aut
nichil»

. 'Candor' et 'candidus' sumuntur hic materialiter.

(514) '«Aut nichil»': hic ponit mutationem adiectivi similis in substantivum, dicens quod "aut nichil sume inde, sed a niveus, quod ei similatur" et cetera.

(515) '«Mobile sic mutes»': hic ostendit quomodo mutationi

[Page 191]

dicte est addendum aliquid ut fiat conformis sensui priori. Littera plana est per totum.

//14ra// **(516)** 'HUNC FIXO' ET CETERA: postquam autor supra determinavit de commutatione adiectivi, hic declarat de commutatione substantivi. Et primo facit hoc, secundo, ad removendum quandam desperationem ab ipsa doctrina, dat quandam exhortationem, ibi: '«Posse stude»'. Prima in duas, quia primo dat regulam, secundo exemplificat, ibi: '«Thematis huius»'.

(517) Primum patet. '«Honeste»': id est congrue, id est si non stat bene in eo casu in quo tu ipsum expressisti et collocasti.

(518) '«Thematis»': hic exemplificat regulam datam et duo facit, quia primo ponit duo exempla, secundo removet dubium sive excusat se a positione plurium exemplorum, ibi: '«Prosequar an»'. Prima in duas, quia primo ponit primum exemplum, secundo secundum, ibi: '«Si quis item»'.

(519) '«Rem sceleratam»': id est viciosam.

(520) '«Consilio»': id est suasionem alterius.

(521) "Innovo", id est vario vel muto, "fa(ciem) verbi", id est vocem verbalem in alias voces verto et per dictiones alias equipollenter ipsum verbum exprimo; subaudi fixum, per figuras casuales nichilominus immutando.

(522) '«Si quis item»': hic ponit autor secundum exemplum.

(523) '«Persequar an»': hic, quia posuerat exempla per quattuor casus, ne forte aliquis credat quod non posset fieri in aliis, hoc removet dicens unam sententiam omnibus casibus adaptari posse.

(524) '«Posse stude»': hic, quia ista ars videtur difficilis, ponit quandam exhortationem. Et duo facit, quia primo

ponit exhortationem illam, secundo confirmat quoddam dictum, ibi: '«Rem tria»'.

(525) Dicit primo quod si hec scientia est alicui occulta, non procedit hoc ex parte scientie, sed potius ex parte negligentie addiscentis cui beneficium artis et experientie deficit et ideo debet studere posse reperire viam talis doctrine mediante arte et usu.

(526) '«Rem tria»': hic confirmat quoddam dictum, scilicet quia dixerat quod per defectum usus et artis acquirebatur negligentia scientie, ideo confirmando docet que sint illa quibus scientia acquiritur et ignorantia effugatur. Et sunt tria: usus, ars et ymago sive ymitatio, que omnia plana sunt.

(527) 'VOCUM ET' CETERA: postquam autor ostendit de commutatione nominis et verbi, que sunt partes principales,

hic tangit de commutatione aliarum partium indeclinabilium, scilicet adverbii, prepositionis et coniunctionis. Et sic procedit, quia primo dat documentum, secundo exemplificat, ibi: '«Tunc veniet»'. Prima in duas, quia primo per quandam methaphoram ponit proprietates partium indeclinabilium, secundo ponit illud documentum, ibi:

«Inspice
quid»

(528) Dicit primo quod "immobiles vocum que nequeunt flecti", id est partes indeclinabiles, "licet", id est quamvis, sit "tolerabile in sermone, tolluntur apte", id est remouentur, et "illa plebs", scilicet voces vel partes indeclinabiles, "recedit ab aula", id est a dictamine, "sub quadam forma servanda. Forma sit ista", id est sub ista que sequitur.

(529) '«Inspice quid»': hic ex dictis dat quoddam documentum dicens quod inspiciendum est que sint significata

[Page 193]

cuiuslibet partis indeclinabilis et illa exprimere debemus per partes declinabiles, quia melior forma proderit. Littera plana est.

(530) '«Sic hoc breve»':

[Column f14r.b]

//14rb// hic, ut dicebatur, exemplificat autor et duo facit, quia primo exemplificat, secundo se excusat de insufficientia exemplorum sive ab appositione plurium exemplorum et reddit causam, ibi: '«Ne quos exempla»'. Prima in tres, secundum quod tres sunt partes indeclinabiles de quibus determinat. Secunda ibi: '«Lege pari»'; tertia ibi: '«Est genus»'. Prima iterum in tres, secundum quod tria exempla ponit de adverbio: primo temporis, secundo loci, tertio numeri. Secunda ibi: '«Si thema sit»'; tertia ibi: '«Dicere si»'.

(531) '«Si thema»': hic secundum exemplum ponit, scilicet de adverbio loci, et patet.

(532) '«Dicere si mavis»': hic ponit tertium exemplum de adverbio numeri, quod etiam patet.

(533) '«Lege pari»': hic exemplificat de coniunctione et duo facit, secundum quod duo exempla ponit secundum duas species coniunctionis, scilicet disiunctive et conditionalis. Secunda ibi: '«At neque»'.

(534) Dicit primo quod "ubi ponitur 'iste' vel 'ille' tu pones 'alteruter', hoc dico pari lege; sed si res disiunxeris, pones 'alter'", ita quod alter excludatur. Et assignat differentiam dicens quod "si fiat subdisiunctio pones 'alteruter'". Potes tamen continuare sic et melius. Dicit primo quod, dicendo '«Iste vel ille legit»', 'vel' sit coniunctio disiunctiva, ita quod unus legat et alius non: debemus ponere 'alter'; si autem sit coniunctio subdisiunctiva, ita quod

[Page 194]

vicissim legat, scilicet quandoque unus quandoque alter,
tunc debemus ponere 'alteruter'.

(535) '«At neque»': hic exemplificat de condicionali, dicens
quod non debemus dicere '«Si venerit iste, recedit / Ille»',
sed debemus dicere

«Iste accessus operabitur recessum
/ Illius»

. Et assignat causam dicens quod ille fuit modus rudis
primus, sed secundus artificiosus.

(536) '«Est genus»': hic exemplificat de prepositione et
duo facit, quia primo exemplificat de prepositionibus servientibus
accusativo, secundo de servientibus ablativo, id
est: '«Iste punitur»'. Littera per se plana est.

(537) '«Iste punitur»': hic exemplificat de prepositionibus
servientibus ablativo, quod etiam per se patet.

(538) '«Ne quos exempla»': hic excusat se autor a paucitate
sive ab appositione plurium exemplorum et duo facit, quia
primo ponit quod propter pauca plura possunt sciri, secundo
probat hoc autoritate Aristotelis in *Topicis*, qui dicit
quod qui unum discit, plura discit et in paucis via maior.
Secunda ibi: '«Asserit autor»'.

(539) Dicit primo quod "si tu vis scire vim maiorum,
sume minorem, quia maior habet se sic sicut minor; et ideo
inspice pauca. Et lex que est paucis est pluribus".

(540) '«Asserit autor»': hic probat quod dixit autoritate Philosophi
in *Topicis*, dicens quod "autor", id est Aristoteles,
"asserit", id est autentice dicit, "in *Topicis*", dicens quod
"speculatio maior est" illic ubi sunt pauca in ordine ordinata
et "via est maior. Igitur ne ego errem longis" ambagibus, id
est "sermonibus", "exemplum non eat per singula, sed potiore
consilio multa sunt conclusa breviori sigillo".

(541) 'OBLECTATOR' ET CETERA: in parte precedenti autor dedit in generali illa circa que versatur ista ars commutationum, ibi: '«Tria tantum sunt loca»'. Et in speciali ibi:

«Ecce[Page 195]

primum locum»

. Hic, ut dictum fuit,

[Column f14v.c]

//14vc// ibi removet

quandam cavillationem, per cuius remotionem innuit moram esse faciendam in dictamine et summam esse diligentiam adhibendam. Et duo facit, quia primo ponit dictam doctrinam, secundo dat modum corrigendi ipsum dictamen, ibi: '«Sed leto»'. Littera plana est.

(542) '«Sed leto»': hic, post cavillationem summotam, per quam remotionem insinuavit moram esse attendendam et diligentiam, ponit autor correctionem que diligenter est observanda similiter, iuxta illud Oracii:

«membranis positis
intus, delere licebit / quod non edideris»

. Et redditur ratio,
quia nescit vox missa reverti et alibi; vir bonus et prudens
versus reprehendet inertes, culpabit duos, et cetera.

(543) 'ADIICE' ET CETERA: dicto de ydonea verborum ordinatione sive inventione, convenienter docet de ornatu ipsorum qui acquiritur per eorum determinationem. Et duo facit, quia primo docet de ipsa determinatione, secundo exemplificat, ibi: '«Venit in obprobrium»'.

(544) Primo ergo docet per quoddam simile sumptum a prima materia, dicens quod sicut prima materia est informis et determinabilis per unamquamque formam, ita quelibet dictio est determinabilis per aliam. Et ponit exemplum quando duo talia conveniunt vel coeunt ('«Pratum ridet»'), quod methaphorice dictum est. Unde prima materia appellatur 'yle mater' et est primordialis materia de qua dicit Augustinus quod sicut silentium audimus nichil audientes et tenebras videmus nichil videntes, ita yle dicimus nichil dicentes. Supple aliquid determinatum actu sed non potentia, quia aliquid potentiale bene dicimus.

«Efficiens
causa Deus est, formalis ydea, / Finalis bonitas, materialis
ylle»

: hoc *Anticlaudianus* ait.

[Page 196]

(545) '«Vel collige»' et cetera: scilicet orationem faciendo que <non> constet ex pluribus quam ex duabus dictionibus uti fuit illa: '«Pratum ridet»'; et illa: '«Studium floret»'.

(546) '«Venit in obprobrium»': hic exemplificat de ipsa determinatione vocabulorum et duo facit, quia primo determinat de determinatione nominis, secundo verbi, ibi:

«Lege
quidem»

. Prima in duas, quia primo docet qualiter substantivum debeat determinari, secundo qualiter adiectivum, ibi: '«Mobile sic»'. Prima in duas, quia primo ostendit qualiter substantivum determinetur tam per substantivum quam per adiectivum, secundo recapitulat de dictis ut transeat ad partem sequentem, ibi: '«Mobile sub»'. Prima in duas, quia primo ostendit qualiter alterum determinet alterum sine transumptione, secundo qualiter cum transumptione, ibi: '«Aut ita trans(sumes)»'. Prima in duas, quia primo ostendit qualiter substantivum determinetur per adiectivum, secundo qualiter substantivum determinetur per alterum substantivum, ibi: '«Aut ita se»'. Prima in duas, quia primo ostendit qualiter substantivum determinetur per simplex adiectivum, secundo qualiter per duplex, ibi: '«Vel mobile sic»'.

(547) '«Vel mobile sic»': hic ostendit qualiter substantivum determinatur per duplex adiectivum. Et plana est lictera.

(548) '«Aut ita»': hic ostendit qualiter substantivum determinatur per alterum substantivum. Et etiam per se patet.

(549) '«Aut ita»': hic ostendit qualiter alterum determinet alterum.

(550) '«Mobile sub simili»': hic recapitulat ea que dicta sunt ut facilius descendat ad ea que dicenda sunt.

[Column f14v.d]

//14vd//

(551) '«Mobile sic»': ostensa determinatione

[Page 197]

substantivi, ostendit determinationem mobilis sive adiectivi. Et duo facit, quia primo docet qualiter determinatur per unum substantivum, secundo qualiter per duplex, ibi:

«Sed
melius»

. Prima in tres, quia primo docet qualiter mobile determinetur per genitivum substantivi, secundo qualiter per dativum, tertio qualiter per accusativum. Secunda ibi: '«Sive dativus»'; tertia ibi: '«Vel ecce»'.

(552) '«Sive dativus»': hic docet qualiter adiectivum determinetur per dativum. Et patet.

(553) '«Vel ecce»': hic docet qualiter determinetur per accusativum, confirmando quoddam autoritate Sydoniani, scilicet quia posuerat plures orationes inculcatas, ideo dicit quod iste est usus Sydoniani, scilicet dictare isto modo, scilicet inculcando clausulas.

(554) '«Sydoniani»': id est Sidonii auctoris qui prolixus fuit in dictis suis, scilicet multas clausulas insimul coniungendo et se per multa determinando.

(555) '«Sed melius»': hic ostendit quomodo adiectivum determinetur per duplicem determinationem. Et duo facit, quia primo proponit, secundo exequitur, ibi:

«Mensale
placet»

(556) '«Mensale»': hic prosequitur de intento et patet.

(557) 'LEGE QUIDEM' ET CETERA: hic agitur de convenienti determinatione verbi. Et tria facit, secundum quod verbum determinatur tripliciter: aut per nomen aut per adverbium aut per ipsam prepositionem. Secunda ibi: '«Vel sic aptes»'; tertia ibi: '«in his bene»'. Prima in duas, quia primo ostendit quomodo verbum determinetur per nominativum, secundo

[Page 198]

quomodo per obliquos, ibi: '«Aut ita subi(icies)»'. Prima in duas, quia primo ostendit qualiter verbum determinetur per nominativum immediate, secundo mediate, ibi:

«Aut
applico»

. In toto isto exempla sunt plana.

(558) '«Aut applico»': hic ostendit quomodo verbum determinetur per nominativum mediate. Quod totum etiam est planum.

(559) '«Aut ita subi(icies)»': hic ostendit quomodo verbum determinetur per obliquos. Et duo facit, quia primo ostendit quomodo determinetur per obliquos in una clausula, secundo quomodo in diversis, ibi: '«Aut sic collige»'.

(560) '«Aut sic collige»': hic ostendit quomodo verbum determinetur per obliquos in diversis clausulis. Et patet totum.

(561) '«Vel sic aptes»': hic ostendit quomodo adverbia determinent verbum. Et duo facit, quia primo ostendit quomodo verbum determinetur per adverbium pure, secundo quomodo per adverbium et obliquos, ibi:

«Vel dic
ita»

(562) '«Vel dic ita»': hic ostendit quomodo verbum determinetur per adverbium et obliquos. Et etiam per se patent. '«Adverbia referuntur ad ignotos effectus verborum»': Priscianus in primo *Minoris*.

(563) '«In his bene»': hic ostendit quomodo verbum determinetur a prepositione. Et duo facit, quia primo facit hoc cum duplici casu, secundo commendat talem modum autoritate Sydoniani, ibi: '«Hic est modus»'.

(564) Dicit primo quod verbum determinatur mediante prepositione per accusativum et ablativum, ut satis apparet in exemplo.

(565) '«Hic est modus»': hic commendat talem modum. Et tria facit, quia primo ponit talem commendationem, secundo,

quia fecerat mentionem de inculcatione plurium clausularum, docet in quibus casibus fiat apte talis inculcatio, tertio, quia iste modus differt a stilo Senece, comparat modos

[Page 199]

utriusque ponens differentiam. Secunda ibi: '«In duplici»'; tertia ibi: '«Sydonii cala(mus)»'.

(566) Dicit primo quod "tantus acervus clausarum", id est clausularum, "est modus et mos Sydoniani

[Column f15r.a]

//15ra//

et etiam est modus egregius", quia ipse Sydonianus insequabatur sententiae modum.

(567) '«In duplici»': hic, commendando hunc modum predictum, docet in quibus casibus, id est eventibus, valeat talis modus, quia valet ad laudes et ad vituperium exprimendum. Quod totum patet.

(568) '«Sydonii»': hic, comparando unum modum ad alterum, per modum differentiae dat diversitatem commendando utrumque. Et duo facit, quia primo assignat differentiam, secundo utrumque commendat dando suum iudicium, ibi: '«Dignus»'.

(569) Dicit primo quod '«calamus»' et cetera et ostendit quando et ad quid utendum est tali modo loquendi, videlicet per inculcationem sive aggregationem clausularum.

(570) '«Hic est mos»': hic commendat tale modum dictandi Senece et duo facit, quia primo ponit commendationem illam, secundo circa hoc dat iudicium suum – quid eligendum sit –, ibi: '«sed utrumque»'.

(571) Dicit primo quod "hic est mos Senece, scilicet conclu(dere)" et cetera, quia Seneca gaudebat brevitate: nam tribus clausulis orationis sententiam offerebat.

(572) '«Dignus uterque»': hic commendat autor utrumque istorum modorum et dat suum iudicium dicens quod licet uterque sit bonus, tamen neutrum illorum sequetur, sed ibi inter utrumque et sic faciendo de duabus modis unum placebit brevitate vel novitate sua.

(573) '«Sed utrumque»': hic docet quid eligendum sit dando iudicium suum, dicens «Sequar ego Sydonianum vel Senecam?

[Page 200]

Non? Quare?». "Quia novitas plus placet", id est «Si fecero novum modum plus placebo», et etiam quia "idem modus plus saciat", id est fastidit, unde «Si retinerem eundem modum cum aliquo istorum non placerem». Et ideo neutrum per se dicit autor vult imitari, sed stilum compositum ex utroque vult retinere, hoc est dicere quod nec prolixè nec nimis breviter vult dictare.

(574) 'SI BENE DICTA' ET CETERA: hic ponitur quarta pars huius libri, secundum quandam divisionem sex partium superius factam, que appellatur confirmatio. Est autem confirmatio que rem sue cause firmis argumentis et rationibus confirmat. Nam superius dixerat quomodo artificiose possent verba ad ornatum inveniri; modo confirmando docet quomodo possent rerum observandis proprietatibus applicari. Et duo facit, quia primo dat suam doctrinam, secundo declarat quoddam suppositum in illa, ibi:

«Et tamen
est quandoque»

. Prima in tres, quia primo dat documentum proprietatis inserende, secundo applicat illud ad diversas res, scilicet ad prosam et ad metrum, ostendendo diversitatem inter hec, tertio, quia distinxerat ista duo, revertitur ad eorum naturas declarandas. Secunda ibi: '«Hec nota»'; tertia ibi: '«Legibus artatur»'.

(575) Circa primum sciendum quod attributa personarum sunt: nomen, natura, convictus, forma, habitus, studium, affectio, consilium, casus, factum et oratio. Attributa vero negotiorum sunt: summa facti, causa facti ante rem, in re, post rem, facultas faciendi, qualitas facti, tempus et locus.

(576) Item sciendum

[Column f15r.b]

//15rb// quod prima est omnis

[Page 201]

res per suppositum designata, cui attributum est quicquid ostenditur convenire negotio vel persone.

(577) Dicit ergo primo quod si tu notes bene ea que dicta sunt, verba comparanda sunt proprietatibus rerum de quibus est sermo. Et concordat cum Oratio qui dicit

«etatis
cuiusque notandi sunt mores»

; et ibi: '«Intererit multum»'.

Nam etates cuiusque notande sunt – utrum sit puer vel senex – et mores – utrum sit sapiens vel stolidus –, sexus – utrum sit masculus vel femina –, condicio – utrum sit dives vel pauper –, eventus – scilicet prosperitatis et adversitatis.

(578) '«Hec est debita proprietas»': id est ars per quam verba sic attribuuntur proprietatibus describendis. Et comendat eam cum dicit '«Ista venustas»'. Que omnia plana sunt.

(579) '«Hec nota»': hic docet quibus competat hec doctrina, quia competit tam prose quam metro sed differenter, ut dicit in littera generaliter. Et hoc est per accidens, quia realiter eodem modo competit utrique. Littera plana est.

(580) '«Legibus artatur»': hic assignat autor istam differentiam inter prosam et metrum quibus dictamen exprimitur. Et duo facit, quia primo assignat dictam differentiam, secundo commendat eam autoritate Agellii maximi dictatoris, ibi: '«In simili forma»'. Prima in duas, quia primo manifestat eam in generali, secundo manifestat eam magis in speciali, ibi: '«sed ipsas voces»'.

(581) Dicit primo quod metra artantur circa legem compositionis, <circa> quam prosa non artatur; sed prosa liberiori via gaudet. Quod planum est.

(582) '«Sed ipsas voces»': hic docet hanc differentiam in speciali, dicens quod versus vult habere verba subtilia, id est subtiliter ordinata, quod, ex parte tam compositionis

[Page 202]

quam ex parte vocis et significati, omnia sunt lege artata. Sed dictamen prosaycum, licet requirat artificium ex parte significati et vocis, ornatus non tantum quantum ad compositionem vorum ex parte accentus nisi in penultima sillaba ultime dictionis clausule vel distinctionis, ut apparet in doctrina dictaminis quam fecimus de cursibus. Et hoc declarat dicens '«Prosaycus versus»' et cetera, quia non vult debitam armoniam accentus nisi illam que fit in fine, ut dictum est.

(583) '«Nisi que postre(ma) reser(vat)»': id est que locantur in fine clausule propter consonantiam et cursum habendum.

(584) '«In simili forma»': hic, ut dicebatur supra, confirmat autor dictum suum autoritate Agellii qui, dictando prosaice, in penultimis accentum acutum servabat. Et duo facit, quia primo confirmat dictum suum autoritate Agellii ponendo eius doctrinam et causam doctrine, secundo regreditur super differentiam assignatam, ut aliquid addat, ibi: '«sed, carmine»'.

(585) Dicit primo quod Agellius in simili forma semper dictabat prosaice, sicut dictum est superius, et subiciebat causam huius doctrine, quia nimis esset difficile, dictando prosaice, velle exquirere tam subtilia et tam accentuata verba, quod videtur insinuare cum dicit "Et subicit causam:

[Column f15v.c]

//15vc// ne numerus vorum esset nimis debilis et non sufficiens concludere versum", id est terminare clausulam vel distinctionem.

(586) '«Si sit, ut»': hic removet dubium dicens "si dictio finalis sit alterius sillabe", id est "forme", non producat plura "ut solet esse", quia forte quidam aliter dictabant et non observabant hoc; tamen "ista est melior et decentior, quia melior causa probat eam" et Agellius bonus dictator approbat, "sed ratio sue doctrine non variat cetera", scilicet verba, nisi finalia.

(587) '«Sed, carmine»': hic regreditur autor ad principale

[Page 203]

propositum ut aliquid addat. Et duo facit, quia primo repetit quasi iam dicta breviter, secundo dat documentum suum ostendendo qualiter procedendum sit in tali dictamine

prosaico et metrico, ibi: '«Sic verba do(mentur)»'.

(588) Dicit primo quod tam prosa quam metrum describenda sunt eadem arte dictaminis et ab eadem arte dependent, licet metrum ut metrum et prosa ut prosa differant inter se, quasi dicat: «Licet quandoque aliquid mutetur vel ponatur non secundum artem, ut quandoque sillaba longa ponitur pro brevi et e contrario».

(589) '«Sic verba»': hic dat documentum suum dicens quod circa istam doctrinam sic procedendum est, quod in scientia dictaminis verba nimis levia debent sententie ponderositate temperari et sententia nimis gravis debet verborum levitate iuvare. Secundum facit cum dicit '«sint pondere»': per primum incurritur viciū quod appellatur turgidum et inflatum. Utrumque planum est, sed addit quod "color sit intus et extra", id est quod verborum levitas et gravitas sententie sint colorum venustate replete.

(590) '«Et tamen est»': hic declarat autor quoddam suppositum in iam dictis sive removet quoddam dubium incidens. Dixerat enim quod quolibet materia erat venustanda coloribus intus et exterius. Hic ostendit quod quedam materia est que non vult ornari coloribus, scilicet materia comedie, nisi forte illis coloribus quos sermo communis sive vulgaris vitare non potest, sicut quibusdam levibus. Et duo facit, quia primo proponit hoc, secundo dat exemplum, scilicet que sit materia comedie, ibi: '«Tres sumus»'. Primum patet.

(591) 'TRES SUMUS' ET CETERA: hic dat autor exemplum quomodo materia comedie non vult colorari. Et duo facit, quia primo proponit exemplum, secundo comparat comediam

[Page 204]

satiram et tragediam ad invicem, ibi:

«Hac ratione
levi»

(592) Dicit primo quod Parisius vel Aurelianus – autor huius libri – cum duobus sociis pauperrime morabatur in Studio et taliter commorantes penuria famuli sibi alterutrum serviebant, ut facere solent in sodalicio commorantes. Sed tertia ebdomada veniente, iste auctor, accedens pro aqua, fortuitu ad fontem olla confracta ad figulum ollarum tam propere festinans venalem urnam suscipit emendam. Cui inopi et mendico figulus, insultans agreste, convicia et contumelias irrogavit; quod autor moleste et grave supportans, eundem figulum illudere procuravit et rediens ad socios taliter ordinavit quod iterum huic, scilicet

[Column f15v.d]

//15vd//

autori, duas amphoras arripienti venales, unus sociorum miserrime conclamaret mortem parentis noviter nunciatam. Quo audito, prenominatus magister amphoras fregit dolorem miserabilem innuendo, quas socii manu ad manum trahentes illuso figulo reducerunt. Et hoc totum declaratur leviter satis pro materia comedie.

(593) '«Hac ratione brevi»': hic, ut dicebatur, autor innuens causam materie comedie iocose comparat ipsam satiram tragedie – qui sunt altiores stili –, dicens quod, quia ipsa comedia levis est, non indiget colorari. Alie vero due, quia sunt graviores et seriose, indigent colorari suo modo. Secundum tangit cum dicit: '«Seria si tractes»'. Littera per se plana est.

(594) 'IN PRIMIS' ET CETERA: hic agitur de quinta parte orationis rethorice, ut distinctum est superius, scilicet de confutatione. Est autem confutatio eorum que viciant sermonem expurgatio, quia docetur hic qualiter vicia sint de sermone rethorico eliminanda sive removenda. Et duo facit

[Page 205]

quia primo proponit intencionem suam, secundo eam prosequitur, ibi: '«Ecce dee»'.

(595) Dicit primo quod tu debes mundare carmen <ab> omnibus sordibus, id est vitiis viciantibus sermonem, et postea tractandum esse de regulis dictaminis ipsius. Et hoc insinuans dicit: '«In primis igitur»'. Et hoc apparet per Oracium, qui taliter processit, et hoc etiam asserit Boetius et Philosophus. Sed potest autor excusari quia curavit quod vicium tamquam privatio non potest cognosci nisi per habitum. Et ideo sic processit, ponendo primo documenta colorum de modo viciorum. Unde autor videtur bene recognoscere quod ante exornationes de hoc, id est de viciis, tractare debuit, quod satis innuit hoc verbum: 'in primis'.

(596) '«Ecce dee»': hic prosequitur autor de illis viciis et duo facit, quia primo ponit ista vicia, secundo dat modum cognoscendi vicia et virtutes in dictis, ibi: '«Iam datus est»'. Prima in sex sicut sex sunt ista vicia. Secunda ibi: '«Tu, Tite»'; tertia ibi: '«Cum non sit»'; quarta ibi: '«Exitus est vocum»'; quinta ibi: '«Contagio»'; sexta ibi: '«Adiciunt»'.

(597) Dicit primo '«Ecce dee etheree»': hic est primum vicium quod appellatur yatus. Quod vicium taliter diffinitur: hyatus est frequens concursio vocalium earundem. Unde sciendum quod yatus est duplex, scilicet maior et minor. Maior ut exemplo cui bene competit diffinitio, quia est frequens et est earundem vocalium. Cum etiam dicitur

«Lauda
anima mea, Dominum»

, hoc viciosum est et contra debitam armoniam vocis. Yatus vero minor est cum aliquando eedem vocales due vel etiam diverse simul concurrunt; et talis yatus vicium non generat quod bene sonat littera.

(598) '«Tu, Tite»': hic ponitur secundum vicium quod appellatur nimia repeticio eiusdem consonantis, sicut ipsemet

[Page 206]

exponit se ipsum cum dicit: '«Littera sic eadem»'. Nam sub isto

[Column f16r.a]

//16ra// comprehenduntur multa alia specialia que ponuntur a Donato in *Barbarismo*, ut puta laudacismus et yotacismus et cachosintethon, id est obscene pronunciationes, ut: «Vigil lupus», «Error Romuli ruit», «Magnum malum», «Solus solatia», «Sedens suebat». Nam dicit quod si hec moderate fient tolerantur, aliter vero non.

(599) '«Cum non sit»': hic ponitur tertium viciū quod appellatur nimia eiusdem dictionis repetitio, prout tota dictio significativa est, quod satis innuitur cum subiungitur '«Hinc verbum vi(lescit)»', id est dictio quelibet. Et nota quod non omnis repetitio est viciosa dictionis, sed solum illa quae non habet ullam <causam> sui esse, quoniam si fieret causa laudis – ut

«Magnus poeta fuit Virgilius, magnus
fuit Virgilius»

– est color vel etiam causa vituperii,
ut: '«Tune duos una, seivissima vipera, cena? / Tune duos?»'.
Et: '«Lauda anima mea Dominum, lauda anima mea»'; et:
'«Volavit, volavit super pennas ventorum»'. Nam consuevi
dicere quod octo modis repetitur aliqua dictio sine vicio,
quod ad presens tacetur, et hoc sonat littera quando dicit:
'«Moderata resumptio vocum»', id est dictionum.

(600) '«Hinc verbum»': hic epylogat dicendo quomodo
ista totiens repetita vilescent.

(601) '«Exitus est»': hic ponitur quartum viciū quod appellatur
nimis frequentata vocum simul terminatio, tam in
casualibus quam in non casualibus, ut patet in exemplo;
sed non nimis repetatur. Et est duplex, scilicet similiter cadens
in casualibus et similiter desinens in non casualibus,
ut: «Te delectavi, amavi et semper honoravi». Littera
est clara in omnibus.

(602) '«Contagio»': hic ponitur quintum viciū quod appellatur

[Page 207]

nimis suspensa dictionum constructio. Quae duobus
modis committitur: vel in partibus indeclinabilibus inter se,
vel in partibus indeclinabilibus cum declinabilibus. Et hoc
ultimum viciū appellatur perversio. Color, si debite sumatur,
omne viciū, ut hic dicitur, ut: «Rege sub illo», «Ea de
causa» et similia. Sed si indebite ponantur dicte prepositiones
cum suis casualibus est viciū. Sed primum viciū appellatur
transiectio: color, ut dicebatur superius de transgressione,
sed est viciū, ut hic dicitur, si nimis indebite.
Quod intelligenti satis patet, ideo exemplum non posuit.

(603) '«Adiciunt»': hic ponitur sextum viciū quod appellatur
inconcinna transiectio vel divisio verbi vel dictionis
cuiuslibet, ut '«Luci misimus Eli»', quod est tota una pars,
scilicet 'Lucieli', id est 'illi homini', et est dativi casus et
est dictio themesata et declinatur hic 'Luciel, -lis'. Unde
si debite fiat talis divisio, ut Lucanus '«inque vicem»', id
est invicem, et Virgilius '«septem subiecta trioni»', id est
'subiecta septemtrioni', tunc est thesistis et color etiam.
Sed oritur ex dictis dubium, quia, cum sint multo plura vicia
quam sint hic posita, cur tantum de istis sex dixit et non
de aliis? Quod sic solvitur, scilicet quod autor de viciis non
intendit hic nisi in quantum aliqua ex his videntur cum coloribus
participare iam dictis et quia ista sex sunt huiusmodi.
Ideo de istis determinat et

[Column f16r.b]

//16rb// non de aliis.

(604) 'IAM DATUS EST' ET CETERA: hic, ut dicebatur, dat modum cognoscendi viciosum dictum vel bonum. Et duo facit, quia primo facit quod dictum est, secundo epilogat ea que dicta sunt, ea ordinando ad memoriam, ibi:

«Omnia
que recipit»

. Prima in tres, quia primo proponit intentionem suam, secundo manifestat que sint illa que faciunt verum iudicium, quia intellectus, auris et usus, tertio probat quod ista tria sint necessaria simul. Secunda ibi: '«Cum faciem»'; tertia ibi: '«Est modus iste»'. Quarto possumus dicere quod unum iudicium sine alio non facit perfectionem, ibi: '«Esto quod»'.

[Page 208]

(605) Dicit primo quod doctrina precedens est velut pecten nobis datus ad ornandum et pectinandum dictamen, sed presens doctrina erit tamquam speculum ad cognoscendum ipsum, utrum splendeat vel non. Littera patet.

(606) '«Cum faciem»': hic docet que sunt necessaria ad bene speculandum, quia sunt tria, scilicet intellectus, auris et usus. Nam intellectus iudicat significata, auris armoniam vocis sive sonoritatem, usus vero utrumque vel saltem peregrinas voces: per quod arguuntur obscure dictantes.

(607) '«Est modus iste»': hic, applicando ad propositum, ostendit quod omnia ista tria sunt necessaria simul, quod satis patet.

(608) '«Esto quod»': hic docet quod unum iudicium sine alio non facit perfectionem. Littera plana est.

(609) '«Omnia que»': postquam autor supra determinavit de inventionem, dispositionem et elocutionem, hic, ut dictum fuit, epilogat que dicta sunt de his ordinando eam ad memoriam. Et duo facit, quia primo facit hoc, secundo de memoria determinat, ibi: '«Cellula»'.

(610) Dicit primo quod "si tu vis meminisse omnia que recipit ratio", id est inventio, "vel que digere ordo", id est dispositio, "vel que polit ornatus", id est elocutio, "memento huius consilii officiosi", id est utilis, "quamvis brevis".

(611) 'CELLULA' ET CETERA: hic determinatur de quarta parte scientie huius libri, scilicet de memoria. Unde sciendum quod duplex est memoria, scilicet naturalis et artificialis. Naturalis est illa que consequitur complexionem cerebri et maxime in parte occipitis. Unde tres cellule distinguuntur in cerebro, quarum prima vocatur sinciput, secunda interciput, tertia occiput. Per primam apprehendimus, cuius virtus appellatur apprehensiva, per secundam intelligimus sive iudicamus, que appellatur iudicativa, sed per virtutem tertie memoramus, que appellatur memorativa.

[Page 209]

Et hanc quidam habent bonam, quidam minus bonam, secundum diversitatem complexionis et cerebri; et de ista nichil agitur hic. Artificialis est illa que per artificium acquiritur, que naturalem multum iuvat, de qua Tullius determinat et etiam hic agitur. Et ideo pars hec dividitur in duas, quia primo determinat de ipsa artificiali secundum se, secundo determinat de ipsa secundum opinionem aliorum, ibi: '«Tradit ymaginibus»'. Prima in duas, quia primo proponit intentionem suam in generali, secundo in speciali, ibi: '«Hanc ita»'.

(612) Primo ergo, commendando memoriam, dicit quod '«Cellula que meminit est cellula divitiarum»', quia

[Column f16v.c]

//16vc//

illa, virtute sue continentie, delicias sapientie continet et conservat; unde in *Libro Sapientie* dicitur

«et delicie
mee cum filiis hominum»

. Nam, ut dicit Salomon:

«Melior
est sapientia cunctis preciosissimis, et nullum desiderabile
huic valet comparari»

. Et quia sic est deliciosa, cavendum est ne superfluis urgeatur, cum de facili possit confundi. Memoria est firma animi rerum verborumque et dispositionis perceptio vel memoria est firma comprehensorum mora in mente.

(613) '«Hanc ita»': hic dat suam doctrinam in speciali et duo facit, quia primo ponit doctrinam suam, secundo eam commendat, ibi: '«Hec ratio»'. Prima in duas, quia duo dat documenta. Secundum ibi: '«Tota scire»'. Prima in duas, quia primo ponit quoddam simile per quod vult dare suam doctrinam, secundo illud adaptat ad suum propositum, ibi: '«Est similli»'.

(614) Dicit primo quod sicut est de natura ita est de memoria, modo nos videmus quod nec cibus nec potu superfluis natura est habenda, id est '«alenda»', quia statim corrumpitur,

[Page 210]

et ideo nec memoria superfluitate intelligibilium
est honeranda, quia talibus suffocatur. Et hoc est quod dicit:
'«Est simili gustanda»'. Que omnia patent aptissime
intuenti.

(615) '«Sic etiam potans»': hic ponit quomodo memoria
oneratur nimia potione, unde sequitur quod homo debet
bibere moderate.

(616) '«Temulentus»': id est temeto plenus, id est ebrius.

(617) '«Est simili»': hic adaptat suam doctrinam ad suum
propositum. Littera plana est.

(618) '«Totam scire sitis»': hic dat aliud documentum, dicens
quod lectio quam tu vis addiscere debet in actu doctrine
per particulas dividi et de parte ad partem addisci. Quod
totum melius in littera explicatur.

(619) '«Hec ratio»': hic comendat autor dictam doctrinam,
dicens quod doctrina data de memoria non solum confert
<vires> virtuti memorative, sed etiam, de omnibus sensibus
suis actionibus confert. Et primo facit hoc, secundo
hortatur nos ad quosdam alios modos memorativos quibus
dicit se uti, ibi: '«Adde modos»'. Primum patet.

(620) '«Adde modos»': hic hortatur nos ad quosdam alios
modos quibus autor dicit se uti. Et patet.

(621) '«Tradit ymaginibus»': hic, ut dicebatur, determinat
de memoria secundum opinionem Tullii. Et duo facit, quia
primo comparat se Tullio ostendendo quod Tullius nimis
prolixè et difficulter determinavit de memoria, secundo iterum
doctrinam suam repetit, ibi: '«Sed, si vis»'.

(622) Dicit primo quod "Tullius tradit artem memorandi
peregrinis ymaginibus", id est figuris extraneis valde et
difficilibus, in qua doctrina forte placet; sed melior sibi videtur
sua et addit quod in addiscendo multum valet deletatio.
Quod satis patet.

[Page 211]

(623) '«Sed, si vis»': hic repetit documentum suum et primo
facit hoc, secundo removet quandam dubitationem vel,
quod melius est, respondet cuidam tacite questioni, ibi:
'«Sunt aliqui»'.

(624) Dicit primo quod tu debes in legendo vel addiscendo
facere cetera memorabilia vel in cera vel in carta vel
in loco vel in tempore, sicut

[Column f16v.d]

//16vd// patet experienti.

(625) '«Sunt aliqui»': hic respondet tacite questioni. Posset
enim aliquis dicere: «Ego vellem bene scire, sed hoc
est nimis difficile». Et ideo tales comparat musipule que
vult pisces sed non vult pedem suum balneare et propter
hoc pisces, stans in ripa, non capit. Nec talibus est scientia
adoptanda, ut patet in littera.

(626) 'IN RECITANTE' ET CETERA: hic determinat autor de pronunciatione, que est quinta pars sermonis rethorici, que sic a Tullio diffinitur:

«Pronunciatio est vocis, vultus
et gestus moderatio cum venustate»

. Et duo facit, quia primo de ipsa prosequitur, secundo eam comparat aliis quatuor, eam aliis preferendo, ibi: '«Sit quod in unum»'. Prima in duas, quia primo proponit quod intendit, secundo exequitur de proposito, ibi: '«Clausula»'.

(627) Dicit primo quod recitator alicuius negotii in quo persuadere velit debet loqui tribus linguis, scilicet lingua vocis, nutu faciei et gestu aliorum membrorum. Iuxta illud Oracii: '«Thelephe vel Peleu; male si»' et cetera; et subdit dicens: '«Tristia mestum»' et cetera. Littera per se plana est.

(628) '«Clausula»': hic prosequitur de pronunciatione in speciali et duo facit, quia primo dat documentum ex parte vocis, secundo ex parte vultus et gestus, ibi: '«Personam si»'.

(629) Dicit primo quod, quia vox significativa triplici accentu regitur, scilicet acuto, gravi et circumflexo, quibus

[Page 212]

respondent tria puncta, scilicet coma, colum et peryodus, de quibus bene specificatum fuit in summula tradita de arte dictandi, ideo in exemplis non insisto. Unde dicit autor quod sicut sententia se habet in re, tali accentu est proferenda. Nam si est imperfecta profertur comatice sive accentu acuto; si vero est perfecta ex parte audientis sed non ex parte dicentis (sed amplius aliud dicere cupientis), vox debet proferri gravi accentu. Si vero sententia perfecta est tam ex parte audientis quam ex parte dicentis, quia nichil intenditur amplius, sic profertur accentu circumflexo vel peryodo, quod satis patet in aliquo qui cantet epistulam sive *Evangelium*. Nam in medio versu vocem extollit et in fine plane deprimit, sed in capite totius dicti vocem suam quodammodo circumflectit et ab aliis variat talem pausam. Et circa hoc ita procedit, quia primo docet quod dictum est, secundo dat exemplum, ibi: '«Videamus»'. Littera plana est.

(630) '«Videamus»': hic dat exemplum, dicens quod in homine iracundo, furore turbato, vox accentu acutissimo elevatur, ita quod rei interiori, accenso, respondere debet vox extra debite proportionata. Unde illud:

«Cor sapit, pulmo
loquitur, fel concitat iram»

(631) '«Personam si»': hic dat autor documentum suum ex parte vultus et gestus et dicit quod recitator habitu faciei et gestu persone talia exprimere debet et non oportet recitatorem realiter, sed solum representare. Et duo facit, quia primo

facit hoc, secundo commendat talem pronunciationem,
ibi: '«Hec est moderata»'.

(632) '«Hec est moderata»': hic commendat talem pronunciationem
quodammodo documentum repetendo,

[Column f17r.a]

//17ra//
quod satis apparet.

(633) '«Sit quod in unum»': hic comparat autor pronunciationem
aliis partibus, eam pre aliis commendando. Et
dic sic: "Sit", id est concedatur, "quod omnia", id est alie
quattuor partes, "concurrant in unum", id est in unam sententiam,

[Page 213]

scilicet quod sint bene et rationabiliter facte, scilicet
"inventio commoda, sermo concinns", id est bona dispositio,
"series urbana", id est ydonea elocutio, "retentio
firma", id est bona memoria. Hec omnia "non plus habent
laudis", supple si non sit cum eis recitatio bona, "si res recitetur
inepte", id est pronunciationem, "quam – supple –
recitatio facta venuste haberet sine premissis", id est partibus
illis aliis.

102.

(634) 'IAM MARE' ET CETERA: hic ponitur sexta pars orationis
rethorice, que appellatur conclusio. Est autem conclusio
que ex omnibus premissis intenditur. Nam ex hoc opere
domino pape oblato gratiam ipsius et veniam pro rege
Richardo captare volebat. Et duo facit, quia primo captat
benivolentiam domini pape librum suum eidem offerendo
laudibus assignatis, secundo eundem offert Gulielmo episcopo
sue terre, ibi: '«Quem pape»'. Prima in tres, quia primo,
imponendo finem libro per quandam methaphoram,
laudat dominum papam, secundo offert se ipsum ei et quicquid
potest causam assignando, tertio veniam postulat pro
rege Richardo ut ipsum, amore petentis, revocet ad amorem
suum. Secunda ibi: '«Pater ergo, vi(carie)»'; tertia ibi:
'«Imperialis»'. Littera patet.

(635) '«Pater hoc»': hic offert magister se ipsum totum domino
pape et quicquid potest assignando causam. Littera
etiam est plana.

103.

(636) 'IMPERIALIS' ET CETERA: postulat hic autor veniam pro rege Richardo ut ipsum, amore petentis, revocet ad amorem suum. Et tria facit, quia, commendando dominum papam a sumitate dignitatis et ab immensitate eloquendi, petit licentiam loquendi coram eo; secundo ponit laudes

[Page 214]

et bonitatem regis Richardi circa Romanam Ecclesiam, quibus meretur amicitiam et non inimicitiam, tertio ponit petitionem. Secunda ibi: '«Nonne vides»'; tertia ibi:

«Pro
principe»

. Sententia et constructus clare se habent.

(637) '«Nonne vides»': hic ponit laudes et bonitatem regis Richardi circa Romanam Ecclesiam, quibus meretur amicitiam et non inimicitiam.

(638) '«Pro principe»': hic ponit autor petitionem.

104.

(639) 'QUEM PAPE' ET CETERA: hic ultimo offert se et librum suum domino Guilielmo episcopo sue terre, cui multum tenebatur, eum strenuissime commendando, ut satis apparet in littera.

(640) Sed Deo qui patrandi gratiam condonavit, laudis multiplicitia communia det Guicciardus. Deo gratias, amen.

[Home](#)

Guizzardus Bononiensis. Date: 2019-12-14
